


PALAESTRA LATINA



ANN. XXV (Fasc. III) – N. 151
M. - SEPTEMBRI A. MCMLV

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

I N D E X

J. BRENACH, <i>Virtus, non voluptas, una est expetanda</i>	129
N. MANGEOT, <i>De antiquitatis oraculis</i> ,	136
AE. ORTH, <i>Lucretiana 1955</i>	139
J. HOLZER - J. Sidera, <i>Censoribus respondetur</i>	144
J. MIR, <i>De Latinitate adhuc vigente</i>	146
AVENARIUS - MIR - E. ASISI, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	146
I. GONZALEZ, <i>Nova et vetera</i>	164
M. MOLINA, <i>Cursus Gymnasticus. O fons Bandusiae splendidior vitro</i> (HOR. <i>Carm.</i> 3, 9)	168
J. GARCIA, <i>Per Orbem</i>	173
R. SARMIENTO, <i>Nonnulla urbanitatis praecepta.</i>	175
A. ASISI, <i>Carmen</i>	176
J. GARCIA, <i>Collectanea</i>	177
<i>Sociis et alumnis responsa dantur</i>	178
BIBLIOGRAPHIA: Sidera, Forcano, González, J. Delgado	179
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Paedagogus: Visne latine scire? Lege... Praecepta vitae informandae</i>	185
A. ALSINA, G. GUARDIOLA, J. A. COSTA, <i>Lupus et septem haedi</i>	186
<i>Bono corde esto!</i>	188
<i>Paedagogus, Miscentes utile dulci: Facete, sapienter, acute dicta. - Lemmata Imperatorum. - Sapientium dicta. - Disce, puer, variis loquendi formulis pure lingua Latina uti</i>	190
<i>Aenigmata.</i>	191
<i>Curiosa et iocosa</i>	192

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXV (FASC. III) – N. 151

M. SEPTEMBRI

A. MCMLV

VIRTUS, NON VOLUPTAS, UNA EST EXPETENDA

Cani similis est voluptas: si pellas, fugit; si nutrias, permanet. Et «sicut in arvo quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis insumptum est —aliud fuit serenti propositum, hoc supervenit—, sic voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio. Nec quia delectat placet, sed quia placet delectat» (SENEC. *De Vit. Beat.* 9, 2).

Nullam autem capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus dicebat Archytas Tarentinus, a natura datam, cujus voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae prodictiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret (CIC. *De Senect.* 12, 39). Et Plato (*Tim.* 69, D.): Δέλεαρ κακὸν ἢ ἡδονή. Idcirco deliciis sive voluptate —apud Graecos ἡδονή—, ad astra pervenire non potest quisquam: «Non est ad astra mollis e terris via» (SENEC. *Herc. Fur.* 437). Ovidius vero:

Ipse quoque aethereas meritis investus es arces,
Qua non exiguo facta labore via est.

(*Trist.* 5, 3, 19-20).

Exinde illa Juvenalis in deliciores reprehensio:

Ten', o delicias! extra communia censes
Ponendum? Qui tu gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ovīs?

(*Sat.* 13, 140-142).

Sicque, cum homini nihil mente praestabilius Deus dederit, huic divino muneri ac dono nihil est tam inimicum, quam voluptas. Nec enim libidine

dominante, temperantiae locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtus consistere potest (Cic. *De Senect.* 12, 40 et 41). Ergo

«AD ALTIORA QUAEDAM ET MAGNIFICENTIORA NATI SUMUS»

Namque, si considerare volumus, quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intellegemus profecto, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate vivere ac molliter, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie (Cf. Cic. *De Fin.* 2, 34, 111 sqq. et *De Offic.* 1, 30, 106). Quod si esset in voluptate summum bonum, optabile esset, in voluptate maxima, nullo interjecto intervallo, dies noctesque versari, cum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur; quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in isto genere voluptatis? (*De Fin.* 2, 34, 114. Vide etiam *De Offic.* 1, 29, 103 et 1, 30, 105).

Ex alio capite, nihil est —ut dici solet— omni ex parte beatum, juxta illud Plauti:

Nulli est homini perpetuum bonum;
Jam huic voluptati hoc adjunctum est odium.

(*Curc.* 187-188).

Scilicet omnia praeclara rara sunt, et nihil difficilius est, quam reperire, quod sit ex omni parte in suo genere perfectum (Consule Cic. *De Amicit.* 21, 79). Sic etiam «homo nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti» (Cic. *De Nat. Deor.* 2, 13, 37).

Ac ne plura complectar —sunt enim innumerabilia—, bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse est. «Tute introspecte in mentem tuam ipse eamque omni cogitatione pertractans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens degere omnem aetatem sine dolore..., an, cum de omnibus gentibus optime mererere, cum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas?» (Cic. *De Fin.* 2, 35, 118). Tu, cum tibi sive Deus, sive mater, ut ita dicam, rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil praestantius neque divinius, sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te atque quadrupedem aliquam putes interesse? (*Adi Cic. Parad.* 1, 3, et *De Amicit.* 6, 20).

Igitur, si verum est, ad Deum contemplandum imitandumque nos natos esse, rerum autem caelestium spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinere, intellegitur, corporis voluptatem non satis dignam esse hominis praestantia eamque contemni et rejici oportere (Lege locum Cic. *De Nat. Deor.* 2, 56, 140, et *De Offic.* 1, 30, 106. Itidem conferas *Id. Parad.* 1, 3). Quis enim vitam vivat instar pecudum bestiarumque, quae nihil nisi voluptatem sentiunt ad eamque feruntur toto impetu, eaque contentae non quaerunt amplius (Cic. *De Offic.* 1, 30, 105. Cfr. *Tusc.* 5, 34, 98).

Itaque, qui voluptariam in juventute vitam traduxerunt, cum senuerint

eam odisse solent, quippe qui bestiarum more optimam vitae partem vixere, et quae tunc fuerunt eorum vitia, nunc mores sunt (Cf. SENEC. *Epist.* 114, 3):

Hic campo indulget; hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris. Sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia tagi;
Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem.
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.

(PERS. *Sat.* 5, 57-61)

Nihil videtur absurdius, ad pastum, ut tardam aliquam et languidam pecudem et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal — hominem dico — ortum esse! Nec enim figura corporis, nec ratio excellens ingenii humani significat, ad hanc unam rem natum esse hominem, ut fruere voluptatibus! «Quae mihi quidem vox pecudum videtur esse, non hominis», inquit Tullius (*Parad.* 1, 3; cf. *De Fin.* 2, 13, 40 et 41).

SUMMUM PECUDIS BONUM ET HOMINIS IDEM ESSE NON POSSUNT

Alio enim voluptatis sensu afficitur equus, alio canis, alio homo, ut ait Aristoteles (*Eth.* 10, 5): Ἐτέρα γὰρ ἵππου ἡδονή, καὶ κυνός, καὶ ἀνθρώπου.

Corporis voluptatem, hominis praestantia indignam, contemni et rejici oportet. Nam si corpori tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit quid intersit, quodsi veri videndi causa nec voluptates requiramus et vigillas facile perferimus, et nulla utilitate objecta, res occultissimas anquirimus ultimasque terras peragramus, et honesti gratia corporis florem contemnimus, tum profecto aliud aliquid hominis summum bonum requirendum est, voluptatem bestiis concedamus (Consulas quae hac super re Tullius uberius disputat in *De Fin.* 5, 21, 60 et 5, c. 19).

Quid, si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore ut in gignendo, in educando perfacile appareat, aliud quiddam iis propositum, non voluptatem? (Vide Cic. *De Fin.* 2, 33, 109 et *Nat. Deor.* 2, 61, 153; Cf. *De Amic.* 8, 27). Quin immo luxuriae nimiae detestatio in ipsis feris inveniri constat. Senecam audiamus:

O tetrum genus
Nullaque victum lege melioris soli!
Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.
(*Hipp.* 911-914)

Immo vero, ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab eis ita amantur, ut facile eorum sensus appareat (Cic. *De Amic. loc. laud.*). Congregatione aliae coetum quodammodo civitatis imitantur. Videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam, in mul-

tis etiam disciplinam videmus. «Ergo in bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus, nisi voluptatis causa nulla erit? et homini, qui ceteris animalibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus?» (Cic. *De Fin.* 2, 33, 109, et loc. mem. *De Nat. Deor.* 2, 61, 153). Unde concludit orator: «Praestat autem ratione, honestate, oratione, in iis ipsis igitur, quibus a bestiis differt, excolendis et amplificandis hominis excellentia dignitasque et id, ad quod natus est, maxime appareat necesse est» (*De Off.* 1, 30, 107; *De Fin.* 2, 14, 45; *De Legg.* 1, 8, 22 et *Off.* 1, 4, 11 et 14; item *De Fin.* 2, 14, 46).

Quid vero? nos, siquidem in voluptate omnia sunt, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios varieque abundantes nihil laborantibus, nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus.

Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis? Quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut, si Xerxes, cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso mari ambulavisset, terra navigavisset; si, cum tanto impetu in Graeciam venisset, causam ejus quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus: sic nos sapientem, plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum (Cic. *De Fin.* 2, 34, 111 et 112).

Igitur, ad majora, inquam, nati sumus. Corporis namque voluptates vitam efficiunt miseram, in virtute autem satis est praesidii ad honeste beateque vivendum (Cf. Cic. *Tusc.* 5, 15, 43 et 5, 6, 15 et 16; *De Fin.* 1, 3, 44 et 1, 18, 59. Lege etiam quae idem orator elegantissima profert in *Tusc.* 3, 2, 4 et 5, 25, 45. Deinde in opere *De Fin.* 1, 18, 61 et 5, 28, 83). Voluptas enim in imis usque versatur. Quocirca nec sincera est nec longa et omnis doloris immunis. Nam

AMARA SEMPER ASSULTAT TRISTITIA GAUDIIS

Quam quidem sententiam apud scriptores, et Graecos et Latinos, reperias quam maxime. In terris quippe gaudium sine dolore esse nullo modo potest: «impia sub dulci melle venena latent» (Ovid. *Am.* 1, 8, 104). Ut enim sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem exspectat, ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem praeparandus est animus. Lege Apollonium Rhodium in *Argonauticis*:

ἀλλὰ γὰρ οὐποτε φύλα δουραθέων ἀνθρώπων
 τερπωλῆς ἐπέβλωκεν ὅλας ποδί· σὺν δέ τις αἰεὶ
 πικρῇ παρμέμβλωκεν εὐφοροσύνησιν ἀνίγῃ.

Sed enim numquam natio perpersiciorum hominum,
 Voluptatem ingredimur toto pede: sed aliqua semper
 Amara assultat gaudiis tristitia.

(Argon. Δ, 1163-1165).

Lucretius autem elegantissime dicit ex ipso voluptatis fonte amari nescit quid scaturire, quod vel in ipsis floribus moeroris aliquid afferre videatur:

Medio de fonte leporum
 Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

(De R. N. 4, 1133-1134)

Et ut Plauti verbis utar, «ita dis placitum est, voluptati ut maeror comes consequatur» (*Amph.* 476). Usque adeo «nulli est sincera voluptas, solliciti- que aliquid laetis intervenit» (OVID. *Metam.* 7, 453 sqq.). Immo vero, interdum miscentur tristitia laetis, «ne populum toto pectore festa juvent» (ID. *Fast.* 6, 463-465). Denique Horatius venustissime, ut assolet:

Laetus in praesens animus, quod ultra est,
 Oderit curare, et amara lento
 Temperet risu.

(Od. 2, 16, 25-28).

Et ratio est quia

Nulla dies adeo est australibus umida nimbis,
 Non intermissis ut fluat imber aquis.
 Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
 Mixta fere duris utilis herba rubis.

(OVID. *Epist. ex Pont.* 4, 4, 1-4).

Spernamus ergo, voluptatem, nam «nocet empta dolore voluptas» (HORAT. *Epist.* 1, 2, 55) et qui illis dediti sunt, quasi in diem vivunt, nullam de vita futura rationem habentes, ita ut vivendi causas cottidie finire videantur (cf. PLIN. *Epist.* 5, 5, 4).

Magnum insuper dolum, saevamque, ut ita dicam, fraudem continet ipsa voluptas. Re vera sicut in hamo esca dulcis aspectu, letalis in gustu inest. Quemadmodum qui bestiarum cubicula indagat, et laqueo captare feras magni aestimat, et magnis canibus circumdare saltus ut illarum vestigia premat, potiora deserit multisque officiis renuntiat, ita qui sectatur voluptatem omnia postponit, primam neglegit libertatem, et a ventre dependit, nec voluptates sibi emit sed se voluptatibus vendit. Re vera πάντων μὲν πρότιστα κακῶν ἐπιθυμία: «primum malorum omnium est cupiditas» (TIMON apud *Athen.* 8, 23).

Lysimachus nescio quis ob sitim coactus est se dedere Scythis. Deinde cum frigidam bibisset aquam, dii boni, inquit, quam brevis voluptatis causa quantam deposui felicitatem. Ita nobis cogitandum postquam ob potatiunculam intempestivam, aut venerem, in infortunium incurrimus.

Age vero, visne scire quae mala voluptatem sequantur? Accipe ista poëtae cuiusdam, qui, uti videtur, plane norat fructus ejus:

Adspice, late

Florentes quondam Luxus quas verterit urbes!
 Quippe nec ira Deum tantum nec tela nec hostes,
 Quantum sola nocet animis illapsa Voluptas.
 Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus et atris
 Circa te semper volitans Infamia pennis.

(SILV. ITAL. 15, 92-97)

Etenim quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suae? Quidam se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: ob hoc miserrimi sunt, quod eo pervenerunt, ut illis quae supervacua fuerunt, facta sunt necessaria, serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur, et mala sua quod malorum ultimum est, amant (Vide SENEC. *Epist.* 29, 3 sqq.). Reipsa, non injuria «vincit sanctos dira libido», inquit tragicus ille (SENEC. *Hipp.* 980). Sic vitia Hannibalem hiberna solverunt, et indomitum illum nivibus atque alpibus virum exterminarunt. Fomenta Campaniae armis vicit, vitiis victus est. Porro, non est consentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate, et qui invictum se a labore praestiterit, a voluptate vinci. Jam vero, si res ita se habet,

VITAE NORMA VIRTUS ESTO

Virtutem, inquam, colito, voluptatem fugito utilitati bonoque prorsus contrariam, τῷ συμφέροντι παντάπασιν ἐναντία. Justitiae in primis rationem habeas velim, bonorum fontem et voluptatum. Siquidem virtus, licet contra voluptatem pugnare videatur, reipsa voluptatis fons et origo existit semper, et nullo unquam tempore ejus cultores fefellisse visa est. Quandoquidem negant posse voluptatem a virtute deduci. Quod in totum contra est (Consule quae hac de re luculentissime tractat Stoicus ille Seneca in *De Vita Beata*, 7, 1-4 et 8, 1-6). Igitur nostra voluptas virtus sit. Illa nos alliciat, nos jugiter illa trahat, «trahit enim sua quemque voluptas» (VERG. *Egl.* 2, 65). Nulli enim non virtus, et vivo et mortuo, rettulit gratiam, si illam bona secutus est fide. Ceterum illud velim in memoriam revoces: Ἀρετῆς βέβαιαι δ'εἰσιν αἱ κτήσεις μόναι (SOPHOC. *Frag. Eriphyle*, ap. STOB. *Floril.* 1, 3). Beatus autem sine virtute nemo potest; qui vero virtutem habet, is nullius rei ab bene vivendum indiget. Altum quiddam est virtus, excelsum et regale, in-

victum et infatigabile; voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices et popinae sunt. «Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus; voluptatem latitantem saepius, ac tenebras captantem, circa balnea, ac sudatoria, ac loca Aedilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam atque fucatam, et medicamentis pollutam. Voluptas tum cum maxime delectat, exstinguitur, nec multum loci habet. Itaque cito implet, et taedio est, et post primum impetum marcet» (SENEC. *De Vit. Beat. loc. mem.*).

Denique vitia primo tibi sunt extirpanda, deinde virtutes inserendae, ex Horatio:

Denique te ipsum
 Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
 Natura aut etiam consuetudo mala; namque
 Neglectis urenda filix innascitur agris.

(Sat. 1, 3, 34-37).

Quae quidem, ut feceris, fac valeas firmus in virtute manere, licet nonnumquam tibi contigerit voluptates —et quidem non pravas— experiri. Etenim, sicut Maroneum vinum, cujus meminit Homerus, vicies tanto aquae mixtum, tamen vigorem suum servat, ita sapiens et virtutis cultor, nullis solvitur voluptatibus (cf. PLIN. *N. H.* 14, 4, 3). Igitur

Surge, age, et in duris haud unquam defice; caelo
 Mox aderis, teque astra ferent.

(VALER. FLACC. 4, 35-36).

JULIUS BRENACH, O. S. B.

DE ANTIQUITATIS ORACULIS

Mortales omnes, inter mortem et vitam, inter tot fortunae vicissitudines constituti, res futuras aliquo modo prospicere desiderant. Hodie vero, quo plures a vera fide miserabiliter defecerunt neque amplius spem in paterna Dei providentia ponunt, eo major illorum numerus, qui «horoscopis» et sorilegiis fidem praestant, crescit. Quot ephemerides astrologicae in lucem eduntur! Quot homines periclitantes misere decipiuntur! Attamen ad ejusmodi deceptores veluti ad certam naufragii tabulam confugiunt. Hinc antiquitatis oracula, vates, Sybillae facile intelleguntur. Graecorum praeclarissima oracula Dodonae Epiri, Delphis fuerunt, quorum prius antiquitate, auctoritate et celebritate posterius excellebat.

1. — Dodonae (*Iliad.* 16, 233; *Odys.* 14, 327) vetustissimum Jovis templum fuit. Sed excavationes exeunte saeculo superiore factae demonstrant Jovem in locum praehistorici alicujus dei successisse. Vel ipse Homerus illius fani sacerdotes novit eosque «hypopetes» nominat humique cubare et nudis pedibus deo ministrare memorat. Ratio autem qua deorum oracula consulebantur triplex fuit. Vaticinabantur enim sacerdotes ex sacrarum et vetustissimarum quercuum susurru, ex fontis, qui sub radicibus quercuum oriebatur, murmure, ex ferrei lebetis clangore. Qui lebes columnae affixus erat. Insuper catenulae, ex altera columna juxta posita pendentes, cum, vento secundo flante, lebetem leviter tetigerant, clangorem sacrum suscitare solebant. Hoc Dodonae vetustissimum oraculum temporibus Pindari, summi Graecorum poëtae lyrici, maxime floruit, sed Augusti imperatoris aetate sensim oblivione obrutum est.

2. — Sed omnium oraculorum celeberrimum fuit Delphis (*Iliad.* 9, 404; *Odys.* 8, 80; *Paus.* 10, 5, 6). Templum prius exstructum, saevo incendio quinto a. Chr. n. saeculo deflagratum, anno a. Chr. n. 373 restitutum, tandem maximo terrae motu anno 551 p. Chr. n. penitus combustum est. Cujus ruinas ab anno 1892 ad 1901 exploratores Gallici tam bene excavarant, ut templum ipsum, quale fuerit, facile dignosci possit. Quantum ponderis et auctoritatis oraculum Delphicum habuerit, inde patet, quod juri Graecorum justitiaeque definiendae plurimum attulerit. Ac vel leges Draconis, illius sapientissimi legislatoris, ex dictis hujus oraculi velut e fonte sunt profectae.

Majoris autem momenti fuit, quod sacerdotes Delphici «dictis et effatis» oraculorum haud parum mores Graecorum corrigebant atque emendabant.

Quae dicta et effata a sacerdotibus stringebantur «distichis», quorum major pars distichis illorum septem Sapientium, qui tunc temporis florebant, continetur. Quod si consideraverimus dicta et responsa sacerdotum Delphicorum nihil aliud fuisse nisi normam quandam ad vitam congruenter rationi agendam, facile intellegemus sacerdotum Delphicos id fuisse Graecis quod prophetae fuerunt Judaeis, praesertim cum Graeci responsa illa deorum voluntatem haberent. Praeterea oracula Delphica, quotiens flagitia publice patrata fuerant, piacula publica expiationesque fieri imperabant. Unde vix mirum, quod Socrates, cum ob novos in Atheniensium civitatem deos introductos capitis esset damnatus, non prius venenum sumere jussus est quam magistratus Atheniensium oracula Delphica consulisset.

3. — Tertium antiquitatis praeclarum oraculum Syrtis in finibus Libyrum erat et Jovi Ammon dedicatum. Quod oraculum Alexander Magnus post subjectam Asiam proconsularem consuluit. Suum enim ex deo Ammon ortum auctoritate ipsius dei confirmatum volebat. Speravit quoque sese, si Jovis Ammon filius diceretur, plus auctoritatis in Aegyptios et maxime in Graecos, qui eum, cum esset Macedo, spurium Graecum ducebant, esse habiturum. (Cfr. LUCAN. 4, 673; CATUL. 7, 3).

4. — Inter Asiae proconsularis oracula illud erat celeberrimum, quod prope Clarum diu floruerat. Quomodo sese res in consultandis diis habuerint, ex fontibus litterariis elucet. (PAUS., 7, 5, 3; OVID. *Met.*, 11, 410; TAC., *Ann.*, 2, 54; MACR. *Sat.* 1, 8, 20 et 18, 22). Adytum solis sacerdotibus patebat. Verum ii, qui aliquid a diis impetrare volebant, in aula exspectabant et sacerdoti vota precesque tradebant. Responsa deorum a sacerdotibus, cum consuluerant, exspectantibus reddebantur. Jam inde a saeculo p. Chr. n. primo vota quaestionesque, litteris mandata, deo Clario mittere licebat. Hinc amplius opus non erat magna et sumptuosa itinera facere. Historici fontes demonstrant incolas ipsius Britanniae septemtrionalis tam longe remotae per litteras deum Clarium consulere consuevisse. Nec silentio praetereundum videtur sacerdotes illos magico aliquo artificio effecisse, ut statua dei Clarii responderet.

5. — Denique pauca de Sibyllis dicamus. Vocabantur Sibyllae mulieres deo plenae, rabidae, veluti possessae. Perbene Heraclitus Ephesius (PLUT. *De Pyth. Orac.* 6 et 21) «Prophetissae, quae ore rabido et furioso dicta infortuniis plena murmurant». Delphis prima Sibyllarum sedes jure fuisse dicitur, eo quod ibi «lapidem Sibyllae» exploratores invenerunt. Verum postea nonnullis locis Sibyllae vixisse traduntur. Clarissima autem Sibylla Etythraea habebatur (TAC. *Ann.* 6, 12). Cujus dicta et effata, cum Cumas Campaniae essent perlata, e Romanis adhibebantur. Oportebat Sibyllam virginem esse vetustis-

simam et vagam nec sponte vaticinari, sed a numine instigatam nec quascumque res proferre, sed solas minas. (VARR. *ap. Lact.* 1, 6, 9; VERG. *Aen.* 6, 36; 3, 441 sqq.).

Sibyllarum autem dicta, etsi a Platone aliisque viris doctissimis magni aestimabantur, jam primis temporibus corrupta sunt. Tamen haud exiguam religionis Romanorum partem constituebant. — Quomodo libri alii Sibyllini orti fuerint videamus. Numerantur enim quatuordecim libri, quorum nonus et decimus temporum injuria interierunt. Judaei Alexandrini dicta Sibyllina magnopere fovebant et in vitam litterariam inducebant. Hoc modo libri, uti adventus Messiae praecursores, ad imbuendos paganos verae religionis seminibus et scintillis haud parum contulerant. Nec raro scriptores Apologetici Christiani ante Clementis Alexandrini aetatem acriter obstiterunt (Cfr. DION. HALIC. 4, 62; VARR. *ap. Lact.* 1, 6, 10; GELL. 1, 19, 2).

6. — Postremo pauca de auspiciis et auguriis ponamus.

Haruspices ex hostiarum extis (extispicium) et fulguribus vaticinabantur et cum Romani, gens olim tota agriculturae dedita, sobrii essent, ex extispiciis noscere volebant, utrum res aliqua facienda diis placeret necne: utrum bellum esset gerendum, urbs condenda, templum aedificandum necne (CIC. *De Div.* 1, 45; 2, 63. SUET. *Aug.* 29). Cujus artis instrumentum potissimum jecur erat. — Inventum fuit exemplum aliquod ferreum. Haruspices autem jecoris superficiem dividebant in sedecim partes diis diversis assignandas; per has enim partes sive sedes dii sua signa manifestare credebantur.

Neque minore in honore vaticinatio ex fulgure et de caelo portentis (diris) fuit (JUV. 6, 587; PLIN. 2, 52, 54; PERS. 2, 26). Cum enim fulgur domum aliquam tetigerat, id portentum minax habebatur (OV. *Met.* 15, 794). Minae autem, facta aliqua expiatione, arceri vel mitigari poterant. Sed fulgur ipsum sepeliri oportebat ejusque sepulcrum «puteal» vocabatur. Verum Cicero, exeunte Romanorum re publica in libro de divinatione ejusmodi auguria acriter carpsit et attulit dictum illud Catonis: «Mihi valde mirum est, quod haruspex aliquis, cum ei collega obviam fit, risum suppressere non potest». Attamen haruspices non solum imperatores Romanos bella gerentes sed etiam imperatores Christianos comitari solebant.

Florebant quoque augures «interpretes Jovis Maximi». Vaticinabantur ex avium volatu et gallinarum comestione. Cum enim gallinae grana oblata comedebant, bonum augurium, cum spernebant, malum augurium erat. (CIC. *Divin.* 1, 15, 47; LIV. 6, 41, 2).

Dolemus vehementer gentes tot superstitionibus deditas. Sed «in tenebris et in umbra mortis» inviti «sedebant». Nondum enim lux illa orta fuerat, quae subinde noctem tenebrosam verae religionis radiis erat dissipatura.

N. MANGEOT, S. J.

LUCRETIANA 1955

De fonte Graeco Lucretii (2, 40-44)

Cicero (106-43 a. Chr. n.) ad Papirium Paetum (*ad Fam.* ix, 25, 1) ita scripsit: «Plane nesciebam te tam peritum esse rei militaris; *Pyrrhi* te libros et *Cineae* video lectitasse; itaque obtemperare cogito praeceptis tuis, hoc amplius: *navicularum* habere aliquid in ora maritima». His Ciceronis verbis ad Lucretii versus II, 40-44 deducimur, ubi pauca de re militari et potissimum de «*naviculis*» dicuntur, in libro tamen II, 323-332 non de navibus parvis est sermo. Lucretius hoc modo exercitum classemque libro II describit:

- 40 ...tuas legiones per loca campi
- 41 fervere cum videas belli simulacra cientis
- 42 subsidiis magnis Epiri constabilitas,
- 43 ornatas armis *scafulas* pariterque animatas
- 44 fervere cum videas classem lateque vagari...

Cicero igitur in illa epistula opera Graeca de re militari a rege *Pyrrho* (319-272 a. Chr. n.) ejusque legato *Cinea* scripta etiam Romae primo a. Chr. n. saeculo exstitisse affirmat; longius autem de illo Tullii vocabulo «*navicularum*» disputantes ad hanc conclusionem pervenimus: in illis libris Graecis de parvis navibus agebatur, ut Cicero voce deminutiva «*navicularum*» (non tamen «*navium*») uteretur; ac simili modo etiam Lucretius formam deminutivam, «*scafulas*» (non autem «*scafus*») adhibuit (II, 43), qua voce e Graeca lingua desumpta nihil nisi «*naviculae*» latine significantur; legiones enim «*scafulas*» ad flumen transmittendum vel ad milites litori appellendos arcessebant, ut *Vegetius* in «*epitoma rei militaris*» exponit (Edit. Teubneriana, CAROLI LANG, Lipsiae, 1885, p. 81, 5 et 165, 4); quae res vel in exercitu regis *Pyrrhi* a Graecia in Italiam transeunte in usu fuerit; illas itaque *scafulas* Lucretius (II, 43) non solum ex narrationibus aequalium et amici *Memmi* cognovit, verum etiam, ut equidem opinor, legendo haec ipsa *Pyrrhi* et *Cineae* scripta de re militari ad carmen usurpavit, id quod II, 42 insuper hisce vocabulis «*subsidiis magnis EPIRI constabilitas*» fulcitur; ex *Epiro* certe saepenumero subsidia et auxilia exercitus Romani venerunt, quemadmodum iterum idem *Vegetius* in eadem «*epitoma rei militaris*» testatur (ejusdem editionis CAROLI LANG, pg. 29, 12): «*Nonne Epiri armis plurimum aliquando valuerunt? Illi certo duo loci ex Vegetio sumpti fragmenta ex opusculis Pyrrhi et Cineae oriunda haberi possunt; et in Lucretio II, 42 «Epiri» (ex falsa et absona scriptura «Epicuri») jure*

restituendum esse quivis perfacile sibi persuadebit; ab eodem fonte horum duorum Graecorum alius porro locus Vegetii derivandus videtur esse, ubi de elephantis agitur; in eadem «epitoma rei militaris», pg. 115, 16 haec leguntur: «Hos (scl. elephantos) contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit»; tales beluas Lucretius quoque V, 1302 «boves lucas» commemorat, quo versu denuo ad regis Pyrrhi opus militare redire iubemur; ceterum ratio satis arta intercedit inter Lucretii versum V, 1304 «turbare catervas» et Vegetii locum pg. 115, 16 «conturbavit».

Praeter Ciceronis epistolam ad Paetum missam deinde Aelianus quoque, cui cognomen «Tacticus» est, Trajano imperatore (98-117 p. Chr. n.) illorum librorum Pyrrhi et Cineae hoc modo mentionem fecit: Αινείας... στρατηγικά βιβλία.. συνταξάμενος ὄν ἐπιτομὴν ὁ Θετταλὸς Κινέας ἐποίησε, Πύρρος τε ὁ Ἡπειρώτης τακτικά συνέταξε.

Haec verba Graeca reperiuntur in eo volumine quod sic inscribitur: *Griechische Kriegsschriftsteller von H. Koehly und W. Ruestow. Aelians Theorie der Taktik, II* (Leipzig, 1855, 240). Aeliani testimonio libri regis Pyrrhi et Cineae diligentius quam a Cicerone nominantur; de his auctoribus Graecis cfr. etiam FRANZ SUSEMIHL: *Geschichte der Griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit*, I, (Leipzig, 1891), 559.

Jam ex epistula ad Paetum scripta etiam ipsum Tullium, aequalium Romanorum doctissimum, illa scriptorum Graecorum opera militaria novisse ac lectitasse intellegimus; sin ultro Cicero haec opera cognovit, etiam Lucretius eadem nosse necnon legere potuit; quin etiam Ciceronem crebrius cum Lucretio amico de sententiis poëmatis «de rerum natura» et de libris similibus ad idem propositum (περὶ φύσεως) spectantibus collocutum esse probabile est; quod quidem facile ostendi potest cum sententiae poëtae et oratoris interdum consentiant ut ex Ciceronis epistulis apparet. Lucretius hujus modi libros, quibus «de rerum natura» tractabat, ex Epicureorum Romanorum disciplina, qua poëta Romae institutus erat, facile accipere poterat.

De hisce igitur duobus libris Graecis qui de re bellica agebant, imprimis illud opus, quod Cineas composuit, Epicureorum Romae docentium interesse debebat, neque enim Cineas solum legatus regis Pyrrhi fuit, sed philosophus Epicureus claruit (cfr. Cic. *Cato Major*, 43; *Plut. Vita Pyrrhi*, 20); quamobrem etiam Lucretius potius scripto Cineae nescio an studere potuerit; nam ille Cineas erat homo eruditissimus aequae atque Lucretius artibus liberalibus doctrinisque deditus neque tamen tantopere rebus bellicis manu gerendis natus quantopere rex Pyrrhus, qui «bellipotens magis quam sapientipotens» erat.

Cineas vero philosophus summopere gloria doctrinae Epicureae Lucretium potuit allicere; ut enim Epicurus ipse illud «dulce et decorum est pro patria mori» (ex Horatio notum) effatus «hedonismum» (placita ad voluptatem dulce ac suave spectantia) docuerat, ita Cineae quoque voluptas secure

vivendi et agendi summum vitae bonum esse videbatur. Praeterea in Cineae scripto easdem belli rationes gerendi et strategemata infuisse veri simillimum est atque in Pyrrhi libro, praesertim cum inter illos viros ejusdem nationis bellicae socios nullum discrimen cogitationum intercederet, immo plenus sententiarum consensus atque fidium adesset. Cineas cum anno a. Chr. n. 279 Romae legatis regis Pyrrhi moraretur, non modo rerum politicarum rationem habuit, sed etiam sententias philosophiae Epicureae coram protulisse ac velut princeps primusque Epicureus in foro Romano eminuisse videtur; fortasse Cineas philosophus illo anno (279) plus centum annis ante idem fecerat, quod anno a. Chr. n. 155 illi clarissimi philosophiae principes Athenienses Carneades, Critolaus, Diogenes egerunt, qui Romae legati partim res politicas tractabant, partim philosophi suam quisque sapientiam viris litteratis Romanis eloquenter explicabant.

Ut tandem quaestionem de fonte Graeco Lucretii concludamus, hanc probabilem opinionem proponamus: Lucretius rem militarem II, 40-44 (et II, 323-332) describens iis sententiis Cineae ac regis Pyrrhi nitebatur, quae ab Epicureis Graecis et Romanis scholis librisque tradebantur.

* * *

I, 67, 68: 67 «primum Grajus homo mortales tollere contra
68 est oculos ausus primusque obsistere *coram*.

In fine versus 68 *coram* pro falso iterato «contra» his de causis scribendum censeo: quicumque hos versus Lucretii iterum ac saepius legerit, hac iteratione vocis «contra» offenditur; nam adverbium «contra» bis positum in fine duorum versiculorum statim se excipientium elocutioni et arti metricae bene excultae certe repugnat; jam propter jucundum sonum illud secundum «contra» corrigi debet; deinde sensum horum duorum verborum 67 «tollere» et 68 «obsistere» examinantes ad quoddam eorum discrimen ducimur; siquidem istis verbis vita et doctrina Epicuri breviter circumscribitur et in duas partes dividitur; priore enim verbo «tollere (oculos)» indicatur Epicurum deorum existentiam domiciliumque caeleste nequaquam probare, verum aggredi, posteriore tamen verbo «obsistere», ubi radix et vis sistendi maxime elucet; adversus cives aequales regimenque civitatis Epicurus stare videtur; talis est re vera significatio horum duorum verborum atque oppositio quaedam; unde efficitur illud secundum «contra» (vs. 68) vel obscurum esse vel abundare nec sufficienter percipi posse. Epicurus utique opiniones diis adversarias formare non dubitavit, quas etiam palam coramque civibus magistratu aegre ferente protulit. Ratiocinio autem diligenti illud alterum «contra» (vs. 68) refutatur; etenim verbo «obsistere» jam sensus hostilis illius adverbii «contra» in syllaba praefixa «ob» continetur, quae syllaba idem atque «contra» valet; tautologia igitur esset «obsistere contra», quia istud praefixum «ob»

idem exprimit atque «contra», et hanc structuram «contra sistere contra» omnibus eruditis displicere necesse est; potissimum hac ipsa tautologia monstrata illud secundum «contra» pravum esse ostenditur; ex versibus 67-68 cum iisdem duobus adverbis «contra» non plana interpretatio odii Epicurei contra religionem cultumque deorum cognosceretur. Haec Epicuri actio deis obstans duplicem aspectum habet: primo aspectum internum et privatum solius philosophi (=«tollere oculos»), id quod nemo nisi Epicurus ipse scire atque observare poterat; praeterea aspectum externum et publicum (=«ob-sistere»), quam consuetudinem deos infestandi Athenis homines aequales sentire debebant; ut vero clarius Epicuri mens diis inimica perspiceretur, poëta hanc distinctionem inter «mundum deorum» (=«tollere oculos contra») et «mundum civium» (=«ob-sistere coram») fecit; eodem quidem adverbio «contra» bis collato illud discrimen duorum «mundorum» nequivit intellegi; in hoc 68 versus fine emendando non figura «epiphorae» recognoscitur quae «anaphorae» reciprocatur; neque enim omnino Lucretius eo contendit, ut haec adverbia («contra, coram») ex omnibus huius unius sententiae verbis emineant; immo poëta haec verba ipsa («tollere, obsistere») pondere maximo afficere conatur, quibus duobus verbis quasi ambabus columnis haec una Epicuri opinio diis contraria nitatur; ergo non adverbia, sed verba hoc loco summi momenti sunt. Si tandem «coram» in extremo versu 68 rectam vocem judicamus, lectionis difficilioris structuram adesse monemus. Accedit alia observatio: Epicurus non erat primus Graecus, qui deorum potentiae atque auctoritati se opponebat; jam Protagoras Abderites et Theodorus Cyrenaeus caelitibus adversabantur; itaque Lucretius 1, 67 rite scripsit «primum», id quod est: primorum (=genitivus pluralis partitivus cum contractione sicut «deum» pro «deorum» legitur); ergo inter primos hostes deorum etiam Epicurus fuit.

Finem explicandi paucis ita faciamus: origo erroris secundi falsi adverbii «contra» (68) pro vero adverbio «coram» sic exorta videtur esse: primo recte «coram» scriptum est; tunc abbreviatione vox «corō» reddita est, postea «coñ», quae scriptura nihil nisi «contra» significat; ultimus haud dubie librarius «contra» ex versu (67) superiore imprudenter et inconsiderate recepit. Lucretius ipse idem «coram» adverbium etiam in his versibus extremis 1, 134 et 4, 1102 adhibuit.

Postremo igitur «coram» 1, 68 summo jure legendum est.

III, 370-371: 370 Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
371 Democriti quod sancta viri sententia ponit...

In hoc versu 371 omnia vocabula recte memoria codicum conservavit; idem ceterum versus 371 prorsus eodem modo 5, 622 legitur; quamquam sunt homines, qui «viri» tolerare nolint, quia Democritum virum neque fe-

minam fuisse cuilibet notum et «viri» falso scriptum existimant, tamen vox «viri» ad Democritum laudandum necessaria est; nam «sancta» ad illud «viri» per figuram hypallagae adjectivi cum vi «sancti» trahatur oportet, ut verba postremo ita conjungenda sint «Democriti, sancti viri, sententia»; hanc figuram hypallagae adjectivi poëta eo adhibere debebat, quod «sancti» forma contra mensuram hexametri certam peccavisset; sententia ipsa vero hujus philosophi non sancta est. Democritus autem auctoritate maxima in secta Epicureorum tamquam princeps horum doctrinae usus cognomine «sanctus» hoc loco Lucretii honoratur, ut Plato ille divinus philosophus apud Cicero-
nem *Tusc. disp.* 1, 32, 79 a Panaetio Stoico «Plato sanctissimus» appellatur et apud Gellium 9, 5, 8 «Hierocles Stoicus, vir sanctus et gravis» refertur; praeterea cf. apud eundem Gellium 4, 29, 19 «sanctiores libri philosophorum»; apud Graecos saepius similiter θεῖος ἀνὴρ invenitur. Eadem igitur ratione etiam apud Lucretium 3, 371 «Democritus, sanctus vir» intellegendus est, qui sentit...

AEMILIUS (Emil) ORTH

CENSORIBUS RESPONDETUR

Cl vir Joannes Coppa, in commentariis quibus est index «Latinitas» (A. III, 1. II, MDCCCCLV, p. 148 sqq) magnis laudibus effert, et in pauca contrahit commentationem «Viget Latinitas» J. M. Mirii, C. M. F., in «Helmantica» V (1954), p. 369-391 vulgatam, in qua cl. PALAESTRAE LATINAE moderator ostendit *necessitatem* verba novandi vel vetera verba Latina aptandi ad recentia rerum inventa exprimenda, et *leges* proponit quibus tota oratio nostra Latina contormanda sit. Sed J. Coppa, postquam laudes commentationi tribuit, ab iis quae in II lege P, Mir de Imitandis classicis scriptoribus scripsit, se dissentire asserit, et legem III acriter praeter ceteras vituperat, quae haec est: «Sincera Latinitas nequaquam obscuratur si prudentiam et moderationem adhibeamus in novis admiscendi orationi vocabulis, quae tamen originem ab ipsa lingua Latina sumant —et aliquando a Graeca— aut in cultissimis omnium gentium linguis vulgo usurpentur». A qua lege se prorsus dissentire profitetur his verbis: «Quae si cogitatione ac specie facile probanda videntur, re tamen atque usu minus sunt recta; quin etiam sunt reiicienda, cum in Latinitatis thesaurum plurima inducant verba, quae quiddam sonant horridulum, barbarum, absonum atque peregrinum, quaeque immo aptius aut Esperantianae vel Volapukianae illi, aut etiam... Folenghianae illi, et non Latinae linguae conveniunt». Praeterea rationem exquirat de quibusdam vocibus a Lud. Vive, Erasmo, Avenario, Joveo, Holzerio, Mirio aliisque propositis seu inventis.

Quae cum ita sint, PALAESTRAE LATINAE moderatoribus visum est et leges ab ipsis prolatas defendere et verba novata vel aptata accipi et usurpari posse nisi doctiores alia aptiora procuderint vocabula Latina. — JACOBUS SIDERA, C. M. F.

Mirio nostro summa laudis vindicanda est, quod non modo in opere, quo nihil est in orbe nobilius, perstat cum sollertia exornando, sed PALAESTRAM LATINAM etiam ampliore donatam ambitu ex sublustri veluti provincia in plenissimum transtulit lumen. Pro qua re nunquam non satis ei gratulari possumus, quippe qui neglecta plane temporum iniquitate magno animo et praesenti viriliterque facem arripuerit, animi incertos ac dubios secum rapiens et clara voce inclamans illud «Progrediamur» digitoque indicans, quo esset eundem. Quapropter nos ipsi nihil antiquius habemus quam, ut ejus animo se sequamur vestigia et undique advolemus opem auxilium laturi, ne ignis, quem excitaturus est, exstinguatur umquam, sed omnium animos inflamet.

At vero aegre fero, quod amicus contra jus in manus censorum minus bene existimantium venerit. Agnoscunt quidem libenter censores Mirium quaestionem maximi momenti suscepisse illustrandam, cum scripserit de «Latinitate adhuc vigente». Tamen inique indicare videntur, quod, quamquam Mirius locupletissimis usus auctoribus —Vivetem dico et Erasmus Muretumque— eadem fere praecepta tradidit Latine scribendi, quae Baccius

atque Springhettius, explosis quibusdam verbis novatis meliora, aptiora, significantiora, magis Latina non substituerunt. Equidem non improbo omne iudicii aut censurae genus, immo sano iudicio censurae rem puto multum promoveri. Riligiosam autem justitiam offendere videtur, qui, quae quis scripserit, negat recte esse disputata, sed ne tacite quidem significat, qua ratione res, de quibus quaeritur, magis Latine nuncupari possint. Qui solummodo interrogando alterius placita conficere in animo habet, periculum est, ne in notam dissimulationis incidat. Ex ejusmodi interrogationibus quaero equidem aliquid invidiae. Sic nihil proficimus. At vero in hoc ipso rerum discrimine, ubi plurimi Latinae linguae exstant infestissimi, nequaquam luxuria altercandi conceditur, sed de qua ambigitur re, libere disceptando adducenda est ad umbilicum. Libenter sane equidem censoribus concedo, ut suo jure contra nos faciant prolixè et cumulate, si aliter ipsi sentiant, sed postulo, ut sapientiora proponant neve contenti sint, quod animi iudicio repudiant nostra. Legant censores, quae ego in PALAESTRA LATINA hujus anni mense Martio, pg. XXXIX sqq. disputavi. Quae tum explicavi quia nequaquam sunt decretoria, sed tantum tentamina, invitamenta, emendationes, censoribus suasor sum, ut quae in disceptationem venerunt, suo jure corrigant, sua nostris substituentes. Atque jam nunc licet firmissime asseverare, quae pro sua sollertia invenerint meliora, ea nos grato animo condituros esse in horrea nostra, eosdem dilaudantes, quod de Latinitate optime meruerunt. Cuinam bono altercatio? Ubi voluntas, ibi, cogito, etiam via. Collatis viribus attingemus metam nobilissimam.

JOSEPHUS HOLZER

De Latinitate adhuc vigente

Clarissimis «Latinitatis» Moderatoribus et in primis praestanti viro J. Coppa¹, maximam habemus et referimus gratiam quod de scripto nostro, cui index «Viget Latinitas»², in Commentariis legentibus referre voluerunt, illud laudibus ornaverunt, non nulla vero quae minus recta et minus probanda visa sunt, significarunt.

Quod autem iterum rem suscepi tractandam —quam prius breviori forma et ratione attigeram³— eo feci consilio ut sententiam quam nos in PALAESTRA LATINA tueri ac defendere optimam arbitraremur, eruditissimis viris considerandam et expendendam significarem, ut et illi in vicem expromerent suam: quod ultro ac libere «Latinitatis» scriptores effecerunt.

Nunc vero, ut praeclare prudenterque J. Coppa, vir illustrissimus, asserit —qui de commentatione nostra disputat—, rem tangimus «difficilem, asperam eamque aliquando controversam», «immo dubiam»⁴. Et sane opus est ut hanc difficultatem, quanta ea est —et maxima quidem— mente percipiamus, ad eamque enodandam animum paremus strenuum et sedulam operam conferamus. Sunt enim, ut in commentariolo nostro diximus, qui sermonem Latinum ab hominum consuetudine et usu dimoveri contendunt; sunt qui ad pauca tantum declaranda —ut ad acta officialia et ecclesiastica referenda— utilem idoneumque sermonem Latinum censeant; sunt vero qui ad res novas exprimendas praecipuas tantum, sunt denique qui ad omnes omnino res, quae fingi aut inveniri possint, aptam linguam Latinam profiteantur, idque luculentis commonstrant exemplis.

Investigandum igitur in quonam huiusmodi gradu rem nostram Latinam constituamus, cum illam in controversiam deducimus. Ut autem ex proposito nostro liquet, et qui moderantur «Latinitatem» et qui «PALAESTRAM LATINAM id assequi volunt ut, si opus sit, nova effingantur vel accommodentur vocabula ad res omnes —quae mente hominum concipi possunt— concinna oratione Latina complectendas.

In hunc omnes contendimus finem, sed ratione parum diversa. Nam alii antiquis vocabulis nimium fortasse insistere videntur resque student multis declarare verbis, nos vero audacius nova —ut recentia postulant rerum inventa— interdum procudimus vocabula. Quam agendi rationem Johannes

1. «Latinitas», lib. II, MDCCCLV, p. 148 sqq.

2. Cfr. «Helmántica», n. 18 (1954), p. 369 sqq.

3. Cfr. PALAESTRA LATINA, 128 (1951), p. 63 sqq.

4. Cfr. «Latinitas», *Ibid.* p. 148-149.

Coppa in scriptione nostra vehementer reprehendit; ad has reprehensiones accedamus oportet.

Et primum quod sub regula II «de maximo studio in legendis et imitandis optimis scriptoribus adhibendo» diximus, parum sibi constare existimator noster censet. Sed opus non est iterum Heineccii⁵, Noltenii⁶, Mureti proferre testimonia, quibus aperte eadem declarantur quae nobis J. Coppa sapienter edicit: «Censemus idcirco id tunc solummodo licere cum scilicet in aureae, quae dicitur, aetatis scriptoribus verba vocesque desint ad certas exprimendas res apta»?⁷ Quae quidem nescimus qua ratione a nostris abhorreant ac discrepent: «Ac postquam suam orationem ad eorum [intellege «optimorum scriptorum»] exemplar quam maxime conformavit [Muretus] —quasi nervum succumque ex illis hauriens—, tum demum ex aliis etiam bellissimum quodque in verbis ac locutionibus praesertim, quae in aliis [intellegas quaeso classicis] desint scriptoribus, quadam animi libertate excerptat». Censor tamen nos reprehendit quod «hoc affirmamus licere in verbis ac locutionibus «praesertim», quae in aliis scriptoribus desint». Illud adverbium «praesertim» stomachum movere iudici nostro aut saltem non probari videtur. Attamen in illis —certo neque neglegendis neque abjiciendis— scriptoribus Hieronymo, Augustino, Ambrosio ceterisque, qui laudantur, viris, nullamne vocem, nullam locutionem, nihil quod pulchritudine sua autivarietate dicendi effulgeat quodque suo genere *bellissimum* sit, reperiemus, quod avidè carpere et in thesaurum perennis Latinitatis inferre possimus?... Ne tantam conquiramus exquisitam «gemmeamque» Latinitatem ut molesti putidique nimio studio efficiamur, neque ea de causa «versicolore[m] illam Veneti ludionis vestem» induemus.

At in controversiam deducuntur praecipue quae sub regula III enuntiamus «de admiscendis orationi novis vocabulis, prudentia et moderatione adhibita, quae in *cultissimis omnium gentium linguis vulgo usurpentur*»; haec vero iudici nostro «minus recta sunt; quin etiam sunt reiicienda, cum in Latinitatis thesaurum plurima inducant verba, quae quiddam sonant horridulum, barbarum, absonum atque peregrinum, quaeque immo aptius aut Esperantiana vel Volapukiana illi, aut etiam... Folenghiana illi, et non Latinae linguae conveniunt. Quae sunt enim voces *pruniceps, cruminisecium, femincruralia...?*».

Quibus verbis eorum favere videmur partibus qui in Latinitatis barbaria militant, aut peregrinitatis rei efficiamur, aut, quod deterius, linguam novam quasi exstruere contendimus —quaecumque ea est et nomine vocatur—. Quod quidem haud satis recte cuiquam videbitur. Nam indoles, natura, ratio linguarum non ideo corrumpitur ac depravatur quod pauca admisceantur verba

5. «Heineccius», *Fundamenta stili cultioris*: cfr. *Ibid.* p. 374.

6. Cfr. «Helmántica», *Ibid.* p. 374 n. 12.

7. «Latinitas», *Ibid.* p. 150.

in sermone cottidiano quae ab aliis linguis desumuntur. Quod hac nostra aetate in omnibus fere gentibus ac linguis plus minus factum esse cognovimus. Ut enim nostra —Hispanorum dico— solummodo memoremus, multa sunt apud nos vocabula ab exteris linguis deprompta⁸ ex quibus plura jus civitatis Hispanicae sibi adsciverunt. Qui vero linguae puritatem amant, has voces, initio praesertim cum inducuntur, ut reiciantur, summa ope et studio contendunt.⁹

Ceterum et nos totis viribus enitendum affirmamus ut quam maxime linguae puritatem quaeramus. Sed nostra hac aetate plurima sunt excogitata ab hominibus inventa, quae nisi interdum verbis apud omnes gentes usurpatis significantur, nihil aut parum intellegentur. Quot vero, quae sint haec verba: hoc summa diligentia et prudentia dijudicandum atque investigandum est. Sed haec vocabula omnino reicere, decedere est de via quam omnes sequuntur linguae, quod si in consortione humana vivere et colloqui volumus, haud facile nimiumque arduum erit de hac declinare via. Hasque novas voces vel nolentes nos et qui nostra vituperant adhibere coacti sumus¹⁰

Nunc vero, interrogat cl. vir J. Coppa quae sint voces *pruniceps*, *crumini-secium*... Primum ut luculenter in scripto diximus, sunt sapientissimi viri Ludovici Vivis, cujus hic laudes texere inutile prorsus.¹¹ Deinde, facile et commodum, ut arbitror, eas voces in vocabulario, quod *Colloquia Vivis* subsequi solet, inquirere. Sed quoniam ille interrogavit, en habeant lectores responsum.

Pruniceps: «Tu furcilla hac amove ligna, et agita fomitem ut ignem con-

8. Cfr. *chófer*, *confort*, *hulevar*, *chalet*, *debutar*, *menú*; *Cicerone*, *tesitura*, *soprano*, *allegro*, *andante*, *trémolo*; *lunch*, *sanwich*, *wiski*, *líder fútbol*, *clon*, *sport*, *jockey*.

9. Legas, quaeso, ut exemplum afferam, summo probatissimoque judicio quo Rufinus J. Cuervo, vir in lingua Hispanica peritissimus, hanc de vocibus et locutionibus parum rectis quaestionem prudentissime pertractat, ac saepe vocabula et locutiones vituperat quae aut perperam sermone et usu cottidiano exprimuntur aut quae ex aliis linguis —ex translationibus in primis— facile in linguam Hispanicam invehuntur.

10. Cfr. voces quae infra afferuntur, et autobirota, «Latinitas, MDCCCCLIII, l. III, p. 214; ocytes, *ibid.*; birotularius, *ibid.*; apparatus propulsorius, MDCCCCLIV, p. 74; technicolor, p. 140; aerovehiculum, MDCCCCLV, p. 20; televisio, p. 21, cet.

11. J. Lud. VIVES: «Acris ingenii vir» (VOSSIUS); «Vir apprime eruditus» (J. SCALIGER); «Vir item fuit in omni disciplinarum genere exercitatissimus et de bonis litteris optime meritus (JOVIUS); «Est apud nos Jo. Lud. Vives, Valentinus, nondum opinor vicesimum sextum egressus annum tum in bonis litteris atque etiam in dicendi scribendique facultate eo progressus, ut hoc saeculo vix alium norim, quem ausim cum illo committere. Nullum est argumentum in quo non exercuit stilum. Nunc veterum exemplum referens declamat, sed tanta dexteritate, mihi crede, ut si titulum adimas, putes rem non hujus regionis, nec hujus esse saeculi, magis autem felicissimis illis Ciceronis ac Senecae temporibus natam, quibus coquis et apiciis aliquanto plus erat eloquentiae, quam nunc est iis, qui videri volunt orbis magistri...» (ERASMUS, l. XIX, *epist.* 101).

cipiat: sume pyrolahem. —Quid rei est istud verbum? —Quid mihi cum verbis Graecanicis? Quasi desint Latina». ¹²

Cum autem in vocabulario Latino voces *prin-ceps*, *au-ceps*, *pisci-ceps*, *muni-ceps*, *parti-ceps*, *vesti-ceps*, habeamus, non liquet qua re reprehendamus vocem quae a *pruna* et *capio* (*ceps*) derivetur et *pruniceps* —instrumentum quo «prunas capimus», quod idem Graeca vox *pyro-labes* significat— effingamus, praesertim cum proprium ad hanc rem subtiliter notandam vocabulum Latinum praesto non sit; vox enim *forceps* Vivi nostro ad rem presse declarandam satis apta visa non est.

Crumenisecium [*crumenisicium*]: «Nescis illum *crumenisecam* existimari ab hominibus, et de *crumenisecio* accusatum apud gymnasiarcham?». ¹³

Nomen a *crumena* et a verbo quod est *secare*. Quod si apud grammaticos vulgo *germini-seca*, *feni-seca*, *feni-sex*, *feni-sector*, *feni-sicia* adhibentur, qua re Vivi novum vocabulum *crumeni-seca*, *crumeni-secium* procudere non licuit ad exprimendum et illum qui aliorum «crumenas secat» et «crimen de quo quis accusatur»?

Femnicruralia: «Vin' femoralia et tibialia, quoniam est aestus? —Minime vero, dato *femnicruralia*: quaeso constringe me. —Quid, tu habes brachia foenea aut *butiracea*?». ¹⁴

Femoralia et *tibialia* praesto erant in lexicis vocabula, sed ut illud signaret indumentum quo «femora seu femina et crura» tunc contegebantur quodque vulgato nomine *calzas* ¹⁵ appellabatur, vocabulum in promptu non erat, et ideo *femini-cruralia* —quod «femina et crura» convestit—, protulit.

Butyraceus: adjectivum utique a *Vive* cefectum, sed neque *butyrum* classici scriptores adhibuerunt, quod tamen nomen nemo respuet. Quod si butyrum est «spuma lactis [sero concretior et multa agitatione pinguis]», ille qui sua mollitia et segnitia res manibus non attingit, nonne optime dicemus

12 J. Lud. VIVES, *Opera omnia*, Valentiae, MDCCLXXXII, t. I, *Linguae Latinae exeroitatio*, p. 343; B. VERGHETTI, *J. L. Vives Colloquia*, Marietti, MCMXXXIV, *Culina*, p. 90.

13. Cfr. *Opera O. Ibid.*, p. 304; VERGHETTI, *Garrientes*, p. 32.

14. *Opera O. Ibid.*, p. 283; VERGHETTI, *Surrectio matutina*, p. 2.

15. Cfr. J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológ. de la lengua castellana*, s. v. «calza»: «Los romanos, que antiguamente no llevaban medias ni calzas, aprendieron el uso de aquéllas de los germanos, y las llamaron con un derivado (documentado sólo desde hacia el año 800) del nombre que ellos designaban el calzado. Con la evolución de la moda, las medias en los siglos medievales se fueron llevando cada vez más largas hasta convertirse en una prenda de vestir que cubría desde los pies hasta la cintura, pero se les siguió aplicando el nombre antiguo; y cuando en el siglo XVI se dividió esta prenda en dos partes, la que cubría el abdomen y parte de los muslos siguió llevando el nombre de *calzas* o el aumentativo *calzones*, y el resto tomó el de *calcetas* o *medias calzas*, y abreviadamente *medias*». Extremam hanc significationem Vives notat, eamque nova voce *femnicruralia* designat. Cfr. *medias atacadas* (in lexicis): «Calza antigua que, unida a la cintura con agujetas, cubría piernas y muslos», et ideo Vives (*ibid.*): «Quaeso constringe me».

bracchia habere «butyracea» (ut nos dicimus «manos de manteca»)? Nunquamne translata vocem a re simili adhibere possumus?

Fustadica - Fustanica: «Cedo mihi thoracem illum dimidiis manicis serici gausapini et tunicam *fustadicam*, cum vinculis vestiariis oblongis. —Immo *fustanicam*». ¹⁶

Horum nominum explicatio ad calcem prostat: *fustadica*: «pannus levis, qui in Britannia textitur». *Fustanica*: «pannus ex gossipio, qui textitur in Germania». —Si igitur praestantissimis Latinitatis doctoribus dicere licuit de *vespis*, ¹⁷ de *Pullmanianis* ¹⁸ automatis, de fistulis *nicotianis*, ¹⁹ de instrumentis *translocutoriis*, ²⁰ de *transviaria* ²¹ raeda, ceterisque, quia res nostrae novis indigent vocabulis, qua re id ipsum peritissimo viro in excolendo sermone Latino —cum litterae Latinae quadringentos abhinc annos renascebantur— non tribuemus?

Capripilia: «Et tu induisti bombycinam levem, recentem ab officina, cum habeas *capripiliam*?»... ²²

Ut facile ex verbis infertur, est vestis e pilis caprarum confecta, quae vulgo undulata dicebatur. ²³ Quod si *capripilia* eadem est vestis —ut videtur— quae media aetate *camelotum* ²⁴ est appellata, quam mavis vocem, quae rectius ad puram Latinitatem accedat?

Scalae cochlides: «Ascendamus has *scalas cochlides*». ²⁵

Cilmus. vir Bacci *scalas cochleatas* in suo lexico habet, adj. «*cochleatus*» ex Cassiodoro et Pomponio assumens —quo tamen alio sensu hi scriptores uti videntur—. Neque vero qua re carpenda sit vox *cochlis*, *-idis*, apparet cum de

16. *Opera O. Ibid.*, p. 325; VERGHETTI, *Vestitus*, p. 64.

17. Cfr. «Latinitas», III, MDCCCCLV, p. 113.

18. *Ibid.*

19. *Ibid.*, p. 115.

20. *Ibid.*, p. 132.

21. «Latinitas», I, MDCCCCLIV, p. 48.

22. *Opera O.*, p. 325; VERGHETTI, *Vestitus*, p. 65.

23. «Vesta de ciamelloto», Cfr. VERGHETTI, *Vocabularium*, s. v.; «hecho de camelote, ondulado, rizado», (C. F. FERNÁNDEZ, *Diálogos latinos de Luis Vives (Exercitatio Latina)*, Edit. Poliglota, 1940, *vocabulario*, s. v.).

24. Cfr. DU CANGE et COROMINAS, *Diccionario crítico*, «Que se hacían paños con pelo de camello consta por los numerosos testimonios reunidos por Ménage y Du Cange. Como el camelote se llevaba en Oriente (Gonz. de Clavijo) y se importaba de Ultramar (según los testimonios del siglo XIII, publicados por Alcover) no hay inconveniente en admitir que el camelote era uno de ellos, y que su nombre viene del de este animal... Huerta habla de una vestidura de pelo de camello llamada *camello-ta*... El *camelote* se importó primeramente de Oriente, pero luego se fabricaba en las grandes manufacturas del Norte de Francia, con pelo de cabra». Quae extrema verba (*pelo de cabra*) ad vocem «*capripilia*» effingendam sunt consideranda.

25. *Opera O. Ibid.*, p. 331; VERGHETTI, p. 79.

columna agens, P. VICTOR, *de regionibus urbis Romae* «columnam cochlidem»²⁶ dixerit.

Batal[il]arius: «Et Tyrones, et *Batalarii* ex militia sunt nomina desumpta: Tyro vetus est verbum de eo, qui in militia exerceri incipit: *Batalarius*, Gallico nomine, dicitur is miles, qui jam semel proelio (quod illi bataliam vocant) interfuit collatis signis et manum conseruit cum hoste: ita in palaestra litteraria batalarius coepit nuncupari Lutetiae is, qui publice de arte quam disputasset».²⁷

Ex his quae dixit et quae deinde «de doctoribus ac licentiatis» subsequuntur eadem vox ac *baccalaureus* esse videtur. Rem explicatam habes: de voce tunc temporis apud Gallos communi agitur.

Codex exceptorius: «Et huc adducito puerum exceptorem...; profert mihi ex armario Ciceronem et Demosthenem: tum ex pluteo *codicem exceptorium*...».²⁸

«*Puerum exceptorem*, id est, qui scribat quod ego protulerim. Qui profert dictare, qui scribit, excipere dicitur».

«*Codicem exceptorium*: Plinius Senior, ut ait Junior, nihil legebat quod non exciperet: librum igitur album, ubi vocabula, sententiae, loquendi formulae et reliqua, quae optimae videntur, ex auctoribus collecta reponuntur, «exceptorium» appellat».²⁹ —Ita in nota. «Exceptor» et «exceptorius» habes in lexicis.

Concoctio evaporatoria: «Tum enim videtur et temporis ratio et qualitas corporis invitare, cum est minimum vaporum in cerebro, peracta *concoctione illa evaporatoria*».³⁰

«*Concoctio evaporatoria*: Peracta illa digestionem, cum vapores ex stomacho in cerebrum exhalantur» (in nota). Nescio an melius dixerit alius quis *evaporativus* quam noster Vives *evaporatorius*.^{*30}

Sphaerula bombardica: «Uxor narrabat, illum quondam ictum *sphaerula bombardica*».³¹

Temporibus illis inventa est *bombarda* — a qua voce et *bomba*, utrum recte necne nos discesserimus inquirendum est; eo tempore alia praesto non erat vox qua res significantius exprimeretur. Invenimusne nos illis doctiores aptiorem? Audi Jacobum Tassetum in «Alma Roma» ita rem amico expli-

26. Cfr. *Forcellinianum lexicon*, s. v.

27. *Opera O. Ibid.*, p. 335; VERGHETTI, *Schola*, p. 78.

28. « » p. 340; « *Cubiculum et lucubratio*, p. 85.

29. *Ibid.* in nota.

30. *Opera O. Ibid.* . 339; VERGHETTI, *Cubiculum*..., p. 83.

*30. Cfr. FORCELLINI, s. v. COELIUS AURELIANUS, *acut. pass.*, 3, 8; cujus scriptoris «stilum barbariem sapit».

31. D. ERASMI R., *Colloquia familiaria*, t. II, Lipsiae, Holtze, p. 67; Cfr. BACCI, *Lexicon*, s. v. *bombarda*.

cantem: «Sed *bombardam* video etiam, nomen a *bombo* et *ardeo* scitissime ab Erasmo fabrefactum, etsi plurimum in linguis vulgaribus valuit, quoniam derivata sunt ab eo multa, a iudicibus tamen in glossarium deferri!»³². A *bombarda* autem facile *bombardica* (sphaerula) eruitur.

Baccalaureus: «Ille quum esset vir non indoctus et theologiae *baccalaureus*...»³³ «Ego sum sacrae theologiae baccalaureus formatus»³⁴. Est vox quam neque Bacci reicere audent quanquam est «barbarae Latinitatis».³⁵

Quae sunt, iterum a nobis quaeritur voces, *incendiales*, *fulminivorum-fulminar*, *radiata symphonia*, *transmissorium*, *radiaculum*, *pirula*...

Longum quidem omnia, quae sagacissimi illi viri (Jacobellius, Fornarius, Tassetus, Avenarius, Joveus, cet.) multis epistulis mutuo per «Almam Romam» datis disceptarunt, brevi commentatione complecti et paucis verbis adstringere. Commentarium «Almam Romam»³⁶ conferas, quaeso, et quae nos in scripto «Viget Latinitas»³⁷ diximus, ubi illae voces fuse lateque expenduntur et in iudicium vocantur.

Incendiales (*bomberos*, *pompieri*) est vox quondam legentibus «Almam Romam» proposita quaeque disceptationi ansam praebuit; huic voci Jacobellius «excubias, vigiles, praepositos incendiis extinguendis» apte suffecit, Joveus vero «incendii extinctores» rectius dici contendit.

De fulminivoro-fulminari non est quod eadem, quae p. 380 in commentario «Helmantica» diximus, rursus referamus. Id unum interrogo, quid rectius dictum probabitur *fulmini-vorum* —quod fulmina vorat— (cfr. voces Latinas *igni-vorus*, *omni-vorus*, *flammi-vorus*, *monstri-vorus*, aut *fulminar* —locus fulminis— (cfr. *boletar*, *columbar*, [*bidental*, *puteal*]), an voces locutionesque a Cl. v. Bacci propositae: «adversus fulmina munimentum, vel munimen, ad

32. «Alma Roma», MCMXXXI, X, p. 156.

33. D. ERASMI *Colloquia*, Ibid. p. 35.

34. *Ibid.* p. 57.

35. BACCI, *Lexicon*, s. v. Cum ad hunc Erasmi locum intenderem, scribendum erat *baccalaureus*, non *bac(e)laleus*, quanquam haec vox primum in usum est inducta, ut constat ex O PANIGIANI, *Vocabulario etimologico della lingua italiana*, Milano, 1937, s. v. *bacceliere*: *baccalarius*, *baccalaris*, *baccalareus*, *baccalaureus* (*bacca-lauri*, *sottinteso cinctus*, cioè, *cinto di bacche d'alloro*, in allusione alla solenne funzione di conferimento del grado, e che infine venisse usurpato dalla cavalleria»). Rem tamen aptius ad scientiae rationem cl. v. COROMINAS, Cfr. *Diccionario crítico etimológico*, s. v. *baciller* et in primis s. v. *bellaco*, pertrahat: «Este (*bacallar*), además de la acepción más corriente, que se ha citado, significó inicialmente «campesino que ocupaba una posición intermedia entre el payés siervo y el señor», de donde pasó a «villano, no caballero» y de aquí a «bellaco». Los ejemplos más antiguos de *bacallar*, se hallan en el bajo latín de Cataluña (*bacallarius*) hacia 1064...; otras formas romances del mismo origen son oc. ant. *bacalar*, término de desprecio aplicado a hombres jóvenes, y fr. ant. *bachelier* «joven que aspira a hacerse caballero (y por lo tanto no lo es) (posteriormente *bachelier*, de donde procede nuestro *Baciller*)».

36. «Alma Roma», MCMXXV, p. 67; 100, 153; MCMXXV, 139; MCMXXII, 48.

37. Cfr. «Helmántica», loc. mem.

fulmina munimen?» Ergo Latinus sermo impar est ut pressius et significantius rem dicat et solum modo veterum verborum quodam ambitu res novas semper exprimere debet?

Radiata symphonia³⁸: difficultas in adjectivo *radiatus* est. Sub ea voce in lexico Fercelliniano non pauci scriptorum loci laudantur ubi *radiatus* «radios emittens» significat. Metallum illud, cui *radium* nomen inditum est a clris. conjugibus Curie, ita est appellatum quia quosdam radios emittebat, ac deinde omnia quae ad *radioelectridem*, *radiographiam*, *radioscoptam*, *radiotelephoniam*... spectant, *radii*-nomine insigniuntur si peritis viris fidem adscribimus— quia instrumenta illa aut radios ope electridis emittunt, aut radios, qui electride emittuntur, describunt vel imprimunt, aut sonos longe propulsant et emittunt. Nonne ergo diversa «radiatorum genera emittunt», et ideo lucem vel sonos *radiant*? Ergo denuo est inquirendum num ad eam vocem, unde tota de «radio» orta est scientia et appellatio, nobis sit redeundum potius quam novas paremus voces et locutiones quae parum rem significant.

Transmissorium³⁹: *transviariam* raedam, *translocutorium* instrumentum in «Latinitate» legimus, qua re *transmissorium* rejiciemus?

Radiaculum⁴⁰: Habet Baccius in lexico «luminis umbraculum, lucernae, lampadis umbraculum». Umbraculum autem est «locus in quo est umbra, schola (fig.), umbella ad calores arcendos, tegmen, defensio». Baccius ut vocem accomodet rem definire videtur —uti credo— quasi «lucis umbellam vel tegmen». Esto. — At illud parvum velamen non solum, ut a luce protegat, adhibemus, sed ut lucis quoque radios mitescat, aptet et, quo velimus, convertat; et ideo —sicut *umbraculum* locus, res ad umbram dicitur—, ita velamen —quo radii lucis emittuntur, convertuntur, i. e. «radiantur»—, ab eo qui primum vocem effinxit *radiaculum*, i. e. «id quo radii lucis aptius emittuntur» dictum est. Cui favet sententia? Est nonem novum? et res quoque nova est. Novis rebus nova nomina indere liceat, auctore Horatio...

Sed opus non est singula percurrere verba et expendere, nimis enim prolixus et verbosus fio. Conferas, quae in «Alma Roma»⁴¹ et in PALAESTRA LATINA⁴² de his et aliis verbis a laudatis viris sunt declarata, et quos ipse in commentariolo produxi scriptorum locos. Neque vero negabo quaedam aliis nominibus fortasse aptioribus exprimi posse.

De *conaco*, *cerasino*, *liquore curassaviensi* cfr. PALAESTRAM LATINAM MCMLV (I), 149, p. 42. De reliquis vero, si quis in thesauro Latinitatis his meliora habet recondita, proferat eique maxima erit gratia.

38. «Alma Roma», MCMXXV, p. 67.

39. *Ibid*

40. «Alma Roma», *ibid*.

41. «Alma Roma», MCMXXVII, p. 49.

42. PALAESTRA LATINA, «Helámntica», l. mem.

Ceterum, prius quam finem facio, restat ut verba, quae praestantissimus vir in Latinitate declaranda Aemilius Springhetti, S. J., in primo «Latinitatis» libello summa prudentia et doctrina dixit, aequo animo consideremus; cujus haec sunt verba: «Dari semper, ideoque nostro etiam tempore, novandorum verborum facultatem latine loquentibus, cum antiqui scriptores tum ratio ipsa docent. Est enim lingua latina, non quidem in intima perpetuaque sui explicatione mutationeque, at vero aliquatenus in doctorum ecclesiasticorumque hominum consuetudine, viva. Atqui, quaevis lingua viva, sicuti animans quodvis cadentia perpetuo reficit elementa, cum verba quaedam mutat et sensim amittit ut inutilia et obsoleta, nova alia continenter asciscit ac veluti animat. Ergo et usus latinae linguae verba novare potest». ⁴³ Leges vero, quas ibidem doctissimus vir profert, animum scriptoris nostrae aetatis — qui de cottidianis rebus loqui appetit — in angustum nequaquam adducunt. Ipse enim ampliore quodam iudicio rem nostram pertractat et vocabula Politiani, Sadoleti, Manutii, Longioli, Pontani — qui verba *dentitonat*, *hinnifremit*, *tittonatur*, *candelabratur* ⁴⁴ adhibet — non vituperat, immo probare videtur, cum ita sit explicandus et continuo novandus sermo Latinus. Quod si ipse naves *cisternatas* et *petroleartas* novavit vel probavit, si multa, quae ab aliis reiciuntur — qui castigatorem requirunt sermonem — ipse non reprobat, si denique finem eruditissimae lucubrationi his verbis imponit: «Si vero vocabulum exprimatur in omnibus linguis eadem fere forma et plerumque ex graeco vel latino fonte ductum, potest idem interdum latina forma efferri; ut sunt voces, in philosophia, theologia, artibus frequentissimae, cum graeca terminatione *-ismus*, *-ista* *-ισμός*, *-ιστής*, quae omnibus fere linguis communes sunt remque totam apte uno verbo comprehendunt. Melius autem erit eas declarare»: ⁴⁵ cur igitur illa nova cudendi vocabula facultas clarissimis illis scriptoribus, quos supra memoravimus, adimitur, iique angusto nimis et exiguo animo carpuntur et in iudicium vocantur quasi barbari, peregrini aut Latinitatis corruptores? Illam castissimam Latinitatem ne, in verbis tantum servandam, nimium efferamus, quae ut folia mutantur caduntque novo adventiente autumno, sed studium et operam summam in servanda syntaxi et colore Latino collocemus, neque adeo verba nutantia carpamus recentia «quippe qua innumerabiles habeantur aditus ad Latini sermonis integritatem atque elegantiam nimia quadam libertate minuendam»; ⁴⁶ et contra «non priscam modo Latii linguam, quae classica dicitur, probemus, sed universam, nempe se-riorem quoque, cadentem et infimam»... ⁴⁷

43. «Latinitas», I. I, MDCCCCLIII, p. 58, SPRINGHETTI, *Institutiones stili latini*, 1954, c. IV, *De verbis novandis*, p. 70, 89q.

44. «Latinitas», *ibid.* p. 69.

45. " " " p. 74.

46. «Latinitas», I. II, MDCCCCLV, p. 150.

47. «Latinitas», I. II, MDCCCCLIV, p. 158.

Rem aperte profiteamur: in arto versamur loco, undique difficultates oriuntur. Eorum —nostri fortasse— reprimenda est audacia qui suoapte nimium indulgentes genio, nova inconsiderate procidunt verba. Sed si volumus res nostras vera oratione Latina persequi ne ad verba tantum locutionesque redeamus quae duo milia abhinc annorum a Romanis usurpabantur ita ut sermo noster antiqua semper referat vocabula et inculcet, quasi vetustum sit antiquarum vocum musivum; mens, ingenium nostrae aetatis suum quoque habet in re pondus et progressum; non ideo solum modo res inveniamus, sed, cum opus sit, apta quoque vocabula. Quae vero ea sint admittenda, disceptatione doctorum restat investigandum probandumque; ad eorum investigationem operam nostram studiosi conferamus.

In extrema commentatione Horatii verba valde multum sunt consideranda nostraque novandi voces ratio ad ejus normas conformanda:

•In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
 Dixeris egregie, notum si callida verbum
 Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
 Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 Continget; dabiturque licentia sumpta pudenter.
 Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si
 Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
 Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademptum
 Virgilio Varroque? Ego cur, acquirere pauca
 Si possum, invidior, cum lingua Catonis et Enni
 Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
 Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
 Signatum praesente nota procudere nomen.

(HORAT., *Ad Pis.* 46-59)

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM¹

Andreas Avenarius p. Venerando sibi P. Joseph Mir C. M. F.

Jam diu pruriunt mihi digiti cogitanti de necessitate litterarum ad te dandarum et conspicanti non raro in vitrata bibliotheca mea recentia opuscula: tuum «Viget Latinitas» et primum instauratae PALAESTRAE fasciculum et proximum fasciculum «Latinitatis». Sed, uti fit, non fuit ante hunc diem tantulum otii. Sua sibi spatia absumunt officia cotidiana religionis, parandus parum deserto homini hebdomadarius ad populum christianum sermo, interdum biduana praestanda auxiliis curatoribus animarum, respondendum necessariis, serviendum valetudini. In tres fere hebdomadas inutilem nuper me fecit suppuratio dentium, propter nocturnum cruciatum insomnia, dimidia mandibulae evulsio. Nunc paululum respirans, quae interim meum et haud scio an etiam tuum animum moverunt, paucis eloquar.

Dedisti ad me «de Vigenti Latinitate» tractatum, quo me et saepe oblectavi legendo et saepe oblecto, hoc vel magis, quod ibi video collecta quae ipse quondam de acquirenda loquendi copia pronuntiaveram et de augendo thesauro vocabulorum. Non possum non plaudere tibi, cui «Latinitas» etiam atque etiam de commentatione sincere gratuletur. Illud tantum molestum,

(1)

Andreas Avenarius p., Joseph Xylandro colendissimo gymnasiarcho cum lectissima uxore et filiis S. D. P.

Jamdiu cogito Mirio laudes et omnibus nobis defensiones. Laudandus inquam Mirius est, quod «Viget Latinitas» conscripsit et folia etiam ad me dedit, qui interdum verbis meis illic propositis vehementer oblecter, ipse admirans, qui potuerint tam leniter et numerose subire verba et recte sensa. A mea de novatione vocabulorum et comparatione stili Latini sententia nemo me deducet, quoniam revera haec est via plana et tuta et una, qua hodie lingua Ecclesiae hoc est Latina incedere possit. Mihi prorsus videtur illos *Latinitatis* scriptores parum sibi nostra legenda statuere et id facere quod tu te scribis suspicari: Illos facile repudiare quae ex sua non prodierint fabrica. Illi non credere videntur nostra novata et excogitata esse tentamina, esse invitamenta, ut qui felicitiora videant in medio ponant. Tam multa proposita, a nobis etiam, in illis «Novis et Veteribus» PALAESTRAE mihi quidem non probantur, qui neque meis ipsius semper contentus sim. Sed humanitatis est: antequam ego explodam alia, proponam luculentiora et magis propria et magis Latina. Hoc tu rectissime postulas a Coppa et illis qui cum Coppa sentiunt. Nos quaerimus vocabularium, in quo pro nostrae linguae vocibus vocem non definitionem inveniamus redditam, quae voces non raro condendae sunt immo vero jam conditae sunt et nationibus omnibus jam usitatae. Soli illi circumscribunt fines linguae jam per se paupertate verborum laborantis. Facile Coppa jocatur pagina 151 ad calcem non esse

quod typographi dictori tota in dictando est elapsa linea, haec in prima linea paginae 382 verba: «(tam) ego perspicue non semel haec enuntiavi» ut ea me taedeat nunc (pluribus)». Et in regula XI nondum te sinit quiescere telegraphare et photographare, quod, si declinentur, formae enascantur aliquatenus sanis auribus Latinis horridulae (p. 384). Quod horridulum sit delicatis Latinorum auribus, ad illas certe formas pertinere vis ubi binis contiguus syllabis ab iisdem consonantibus labialibus adspiratis fiat initium. Igitur evitari vis formas hoc genus: «telegraphavi, telegraphavero». In «telephonando» tamen nullam talem experire cacophoniam. Atque meae quidem auriculae, si qui recte enuntient, facillime patientur «telegraphavi» et facilius «telegraphasti», dudum illis «telegraphatumst»; cacophatum in reliquis evitabitur, si dixeris: per telegramma eum docui, ostendi illi telegraphice.

De PALAESTRA non est quod multa faciam verba. Placet ut nunc est et communi omnes contendamus nisu ut in dies evadat praestantior. LATINITATIS melior charta, elegantiores typi, sed prodit ex typographia Vaticana.

Veniendum jam est ad eorum virorum qui scribunt «Latinitatem» censionem de effreni in condendis atque proponendis vocabulis licentia. Cum

nobis gratias acturum Ciceronem, facile Baccius jocatur pag. 150 lepide scribens de versicolori Veneti ludionis veste, sed non intellectum est, quid nos jubeamus fieri jubentes versari in omnibus scriptoribus: non mehercules ut conformationem linguae variam ducamus, sed ut eorum vocabula cognoscamus in describendis moribus et rebus et eventibus, cognoscamus illorum proprietates. Discere cupimus legentes omnia, qua ratione, occasione data, etiam nos uti possimus. Coppa certe in illa actione gratiarum cautior fuisset, si legisset in libello Mirii nostri «Viget Latinitas» notam 38, pag. 385. Et fortasse Muretum, popularem suum, quem magni faciunt omnes Latinitatis cultores, illud dicere patientur. Sinamus eos loqui! Quam multa in eodem fasciculo novare licuit clarissimo Patri Carolo Egger! inde a pag. 110. Et delectat legere ejus iter Alpinum. Sed ubi nactus ero tempus, tamen novatum ejus «hamaxostichon» vellam. Quid est enim hamaxostichus? An ordo curruum stantium? Si seriem conspexeris curruum ante theatrum, in quod ingressi domini sunt spectatum, exclamare licet: En totus hamaxostichus, sed ubi junctos ferriviarios carros conspexeris labentes per rotalia, dic cum gentibus hac imbutis humanitate: «tramen» illic rapi vel «tramentum» Zug, trein, treno, quin etiam Graeci dicunt *traino*? ut agmen: «quod agitur», sic tragmen > trāmen quod trahitur.

Et jam diu haberet Mirius responsonem nisi assiduis retinerer impedimentis. Fuere praestanda auxilia pastoralia, parandi sermones sacri...

Kalendis junis a. 1955.

Avenarius Mirio

Ad me dederat Xylander litteras et carmina et alterum PALAESTRAE fasciculum.

Cum in praesentia urgeat confectione sacri sermonis jejune et ut in malleolos fluxerit sermocinatio.

Plurima leges in eo folio, exemplo epistulae Xylandrica, quod his adjecei verbis. Confirmabimus rem nostram agendo magis, quam altercando. Simus diligentes in poliendo stilo et in condendis novis non omittentes novationum nostrarum proponere et docere causas. Habeant illi suam de se et de sua elegantia opinionem! Quanto cum strepitu commendatur Baccii «Vocabulario» neque ibitur infitias quaedam illic etiam inventi et interdum sterni viam. Sed

legissem Rev.mi D ni Joannis Coppa «delibatos flosculos», Ah, inquam, si hodie Romae essem, ad Cancellariam Apostolicam properare properarem, ubi is munere fungitur tabularii, et memor nomen cancellariae infimae esse Latinitatis, breve tamen et toto notum terrarum orbe, per Ill.mum et Rev.mum D.num Amletum Tondinium meum —si modo illic etiamnunc residet— ad colloquendum elicerem ipsum D.num Coppa, modeste atque pudenter, sicut decet in illis aedibus, nonnulla in medio ponerem, quae nobis volapucianis vocabulorum fabris ad defensionem prodesse posse viderentur. Sed in urbe fuimus, et cum sciam tua et quorundam amicorum interesse, qua mente Avenula reprehensionem acceperit *Latinitatis* tibi, ut cisalpinus paulo liberius atque robustius, quam illi coram licuisset, sententiam expromam meam, non contendendi causa, sed mediusfidius, auxilii ferendi causa linguae Latinae in praesenti vitae positae discrimine. Et hoc primum: perlectis paginis 150 et 151 *Latinitatis* in mentem venisse illud Davidis, tum rufi juvenis, quod is Sauli dixit premente electum populum Goliath (1 Re. 17, 32): «Non concidat in eo cor cujusquam». Neque enim aliam rem persequuntur Romani nostri, aliam nos, sed utrique conamur homines inflammare, ut se recipiant ad rem Ecclesiae Christi carissimam, ad scientiam et usum linguae Latinae, gloriam cleri. Illi oblectantur elegantiss et veneribus vocabulorum, et substantivorum nominum notam inopiam circumeunt tornatura periphrastica; nos pedestri sermone contenti et antiqui tenaces sermonis filo hoc inprimis spectamus, ut linguam Latinam his qui nunc sunt hominibus utilem reddamus, nos illis sua relicta sublimitate ambobus pedibus in terra stantes illorum et ipsi delectamur leporibus, postea pergimus servire Latine loquendo, Latine scribendo temporibus.

Magna cum voluptate, fateor, in Latinitate hujus anni Bacci legi orationem in coetu certaminis Vaticani habitam et elucubrationem Tondinii de lingua Latina apta ad commercia doctrinarum omnium. Ille non melius potuit declarare nostrum studium, nostram de Latini sermonis generibus sententiam.

illa ipsa quae desunt ad usum cotidianum, illa tritissima vocabula, quibus hodie opus est vel ad grammophonii partes nominandas, frustra illic quaeras. Rectissime postulat Xylander noster in brevibus litteris, ad me prodens tuam epistolam, ut Coppa ille non modo derideret nostra, permiscens illa quae et nos antiquamus, illis, quae industria et studio excogitata sunt, tamquam monstra et volapucianae generis sint, sed meliora nostris ex arca cimellorum suorum impertiret imbecillioribus nobis, quibus hoc in votis esset, qui hoc niteremur, ut linguam usu Latinam haberemus, non ad popularem dilaberemur, ubi incidisset de televisione et de rebus telephonicis, ut loquendum esset. Quis enim nos ferat in pedestri sermone de teleorasi instrumentum illud telopticum circumire sic, ut sit: «electrica machina rerum figuras atque sonos undelibet arcessens». Risui dabis linguam latinam, nisi pro illa machina pro illo organo vocabulum dederis, sicut aliae res jam habent sua vocabula, ut «aratrum» sit quidem manubriatum ferrum apte flexum quo tracto per agrum sulcatur humus, sed cujus nomen sit et maneat «aratrum». Sed satis est verborum.

Hic me multum delectavit novis novarum rerum nominibus maximeque te-leoramate, quam vocem paulo ante quam legerem ipse excogitaveram. Uter-que Antistes Urbanus usurpat «hamaxostichon», quem Carolus Egger, Rev.mus Canoniorum Regularium S. Augustini in Urbe Rector, in lepidis-simo Itinere Alpino adoptat, qui tamen «hamaxostichus» a me, uno audacio-rum artificum vocabulorum, civitate Latina non donatur, quia quinque sylla-barum est neque secum fert motum illum qui est in *treno*, *trein*, *train*, *Zug*, in eo vocabulo quo utuntur Poloni, et Graeci nostri mutuato nomine maluerunt dicere τραινον quam «hamaxostichon» aut aliud aliquid enchorio nomine. Graecos multum amo et Italos, quoniam utrique novis inventis bellissima ex suis linguis producant vocabula. Sic modo quaerens, ne errarem in forma, τραινον, incidit in ατμόπλοιον navem vaporariam. Hamaxostichos est eadem vox Graece quam nobis pueris Latine respondebant percontantibus quo nomine appellaremus quod Germanice *Zug* esset: esse «ordinem curruum». Sed oro te, ubi est in his duabus vocibus illud «trahi» quod et in *treno* et in *Zug* enuntiatur? Est sane, ubi exclamem: En, quam longus «hamaxostichos» quam productus, quam infinitus curruum ordo! Nempe inspecta ante cino-matographea vel theatra longa curruum automolorum serie pecuniosorum spectatorum, aut immotos conspicatus copulatos currus ferriviarios. Scis me illis, quos modo dixi automolis curribus, cum Avellano illo, *Praeconis Latini* conditore, brevius nomen «digae» indere, quod autocinetum *de-jugum* sit, et sint bigae et quadrigae, posse me dicere Graece etiam substantive et neutra-liter «automolon» et, quidni, «autodromon»?

Sed redeamus ad «hamaxostichon» longam, exteram, parum propriam, minus characteristicam appellationem. Erat cum mihi viderer excogitavisse nomen illi festinanti ferrata via ordini curruum, quod referret cognominatio-nem illi rei inditam ab hodiernis nationibus cultu et humanitate imbutis om-nibus —nomen vere internationale— effecto a trahendo «tramine» vel «tra-mento». Nam recordatus me olim pueros docuisse in scholis illa verba irre-gularia regularia esse illi, qui etyma nosset et sensu praeditus esset quaran-dam phoneticarum legum, ostendisse etiam quae substantiva terminarentur in «-men» vel «-mentum» sonare quo aliquid fieret vel quod fieret et «agmen» esse id quod ageretur. Hinc mihi per «trah» et «trac» et «tracmen» producta «a» vocali tramen est effectum. Si *tramentum* feceris, facile inde *tramentarius* existet, res *tramentaria*, *tramentarii* erunt officiales traminum. Hoc igitur no-men quod est *tramen* non temere, sed cogitate, non volapucianis methodis sed Latinis legibus productum neque ex alienis linguis nimia facilitate mutuatum, quoad significantius allatum non fuerit, meo me jure uti censeo, «hamaxosti-chon» non puto felicioris esse originis, et puto, ubi interna nullo negotio obtineri possint, haec praeferenda exteris.

Postquam uno ostendi exemplo, quam non temere ruam ego in fabricam vocabulorum, si quibus ad loquendum scribendumve opus fuerit, Coppa mihi

videtur esse in vitio, quod in pagina 151 congeriem fundit vocabulorum volapuciani furfuris nulla dicta causa cur hoc vel illud proscribendum censeat, in qua congerie sunt tamen quae dudum ipsi melioribus cedere cupierimus, alia de quibus adhuc disceptandum est, nulla a nobis proposita sic, ut cuiusquam in eo genere periti hominis sententiam subterfugiamus. Aequum erat cognoscere et fortasse etiam agnoscere nostrarum novationum rationes, pro repudiandis meliora impertire quia ne fastidiosi ludimagistri quidem puerilia artium conamina in universum aspernantur. Dico tibi, Miri, quod est: «delibatos flosculos» relegens non semel dubitavi, num Coppa nostra legere soleat, qui semper et jam multis annis doctiorum nobis sententias inclamaverimus. Novis profecto, inquit, opus erit lexicis, id quod jam quadraginta annos omnibus votis suspiramus. Quod lexicon non est in recondita aliqua verborum officina excudendum, nam haec ejus sunt verba, sed in luce et in ipso domicilio Latinitatis. Hic tu, Coppa, et quibus tecum convenit, seduli colligite, quae jam in «Alma Roma», postea in PALAESTRA LATINA atque in *Latinitate* nova sata sunt verba, ea disponite ex ordine litterarum vel, ut ajunt, ordine alphabetico, singula taxate, expunctis atque deletis quae volapucianae sunt notae vestra nobis gratificamini.

Ememus illis viris in libraria Herderiana, quae exstat Romae, vicina Plateae Columnae illum librum, qui *Duden Italiano* inscribitur, triginta fere milia nominum Italice Germaniceque exhibentem. Jusserimus eorum vocabulorum vel quinque paginas ex tempore reponere Latine, non periphrastice, sed appellative; sic enim spem concipere liceat fore ut intellegant etiam censores nostri, ecquid nostri sit consilii: nos conari pro vocabulis hodiernis et cotidianissimis appellativa nomina vel invenire vel ipsos temptare. Jusserimus illos tabulas vestium, barbarum, tegumentorum capitis, musicorum instrumentorum, medicinarum ex tempore proferre Latine. Nihil hic eos juverit circumitus quamvis poëticus, nihil cothurnatus per aromaticas areolas incensus, sed etiam a Raccio relictis capessenda via est, quam nos ingressi sumus, ut odorati rationem fingendi ex etymis per praepositiones et terminationes nova vocabula vel, cum usus sit, adaptandi extera, linguam Latinam cogitationum nostrarum commodum habeamus vehiculum.

Coppa, nisi esset unus ex illis, quibus statim, ubi conspexerunt voculam non aureae aetati a lexicographis attributam, stant comae, non in paginae 151 linea tertia «internationalibus tam multis» acerbae admirationis adverbium, uncinatum sic, adposuisset. Anni sunt cum Jovaeum martyrem consului, haberetne pro hoc adjectivo quod esset «internationalis» aliud quodpiam et Latinius. Quid is respondit et suo respondit jure? Tu modo utere hoc adjectivo recte tracto ex *natione* et *inter*, quoad melius ab aliquo afferatur. Hic adeo Baccium. Habet, sicut eram suspicatus, «ex omnibus nationibus», «ad omnes nationes pertinens», «pro omnibus nationibus tribunal», «communis omnibus nationibus», «eucharisticus ex omnibus nationibus conventus» et, quo magis

pateat prohibendam limine Latinitatis purioris esse eam vocem, quae sola sonet hic humanarum mentium conceptum, addit «Congresso eucharistico internazionale» hanc opinor ob causam, ne puritanis nostris purpura pallescat laborum, si dicant, aut digitorum spercetur candor, si scribant «congressus eucharisticus internationalis». At, pol, nescis, inquit, hoc epitheton «nationalis», neminem scriptorem aureum argenteumve frequentare. Vix contineo bilem. Haecine causast, cur nobis interdicator «nationalis», quod illis antiquis in mentem non venerit Romanis, quibus hodiernae nationes populi pacandi essent et hostes unius sub luna imperii, hoc est Romani? Recentior haec vox est «nationalis» sed communis cultis nationibus omnibus, ita a «natione» producta, ut ab antiquis a provincia *provinciales* dicebantur, ab Augusto *Augustales*, a nave *navalis* factum est. Et quid haec innocentissima praepositio quae est «inter», qua praepositione significatur etiam reciprocatio inter se rerum et hic nationum, peccavit, ut opus sit gemitu vel objurgatione totius Latinitatis olympi? Est in libris meis mutilum exemplar lexicum, quod ante annos circiter ducentos Adamus Fridericus Kirschius Cornu Copiae inscripsit, in quo video adjectivum «nationalis» positum nulla distinctum cruce, signo scilicet novitatis, sed duobus firmatum exemplis quae sunt: «synodus nationalis et militia nationalis». Oro te, qua spuma periphrastica non obscuretur haec nivea vocum claritas. Profecto jam miror quosdam sic luminosissime legere in pontificis diplomatis: «interdioecesana» juberi seminaria nequedum repentina concidisse apoplexi viso tam informi monstro vocabuli. Quibus etiam novis vocabulariis Coppae opus esse imaginer, lexicis in recondita officina cudendis, uti in pagina 151 cum gemitu auguratus est? Qui, ubi legerit «ars dentificina» equidem nescio, neque dentificinam artem intellego, neque ullo unquam pacto conflaturus sum aut toleraturus. «Dentificem» interea rectissime a me appellatum et tri appellatum profiteor, qui didicerim a puero et postea docuerim in formatione vocabulorum, qui locus ab imprudentibus magistris non raro negligitur, in constructis compositis illa esse, quorum pars prior casus esset respondens virtuti verbali alterius partis: artificem esse artem facientem, et hanc terminationem quae esset *-ina* locum designare ubi ars exerceretur, ubi aliquid versaretur, ipsam interdum artem. Haec cum ita sint, quo, quaeso, lexico Coppa indiget ut apiscatur «dentifex» quis sit, quae «dentificina», quem latere non possunt opifex, pontifex, aurifex, carnifex, artifex neque opificina, officina, aurificina, carnificina. Exstant etiam vestifex et vestificina, argentificem Varro negat usurpari. Jam videat Coppa a me vocari *dentificem* qui dentes faciat vel reficiat, et officinam dentificis esse *dentificinam*, eumque oraverim, ut nomina aequae expressa et perspicua et sonantia ejus artificis et officinae proponat.

Nam illam versicolore Veneti ludionis vestem paginae 150 praetereo, cum apertum sit censorem nostrum non assecutum esse, qua nos mente cum Mureto suadeamus lectionem quamplurimorum scriptorum etiam postero-

rum, ut impinguemus nostram in Latino sermone maciem, eo fere modo, quo ipse Coppa ad extremam de Vigenti Latinitate orationem adhortatur: praestantissimos quosque Latinorum scriptorum attente ut legeremus.

At scin', Miri, quid nos oporteat facere? Rev.mum D.num Coppam invitabimus, ut nobiscum sine nummis et sine nummariis chartis ambulet. Adducet secum, qui idem de salute linguae Latinae sentiunt. In via occasionem dabimus, ut filo vere Latino de «billardario» lusu explicet, quae me scis quondam in urbe molitum, sed pure, inquam, et Latine, non, ut ego, volapucice. In promptu sunt etiam alia quaequam quae difficilius Latine redduntur, interdum ex sinu traham syllabarium ludi Italicum, abecedarium libellum, «Nova» etiam «et vetera» abs te collecta et edita typis, parum, ut opinor, grata collegis *Latinitatis*, nam si essent, in *Latinitate* vertentis anni pagina 52 cum Wagneriano libello dignata mentione essent. Hanc illis Rhodum ad saltandum dabimus, pro nostris corruptelis classica verba, non verbosas circumscriptiones poscemus, edicto ante, ne illud «ut ajunt», «ut vocant», «ut appellant» nostris inferant auriculis, quae additamenta nos familiares volapuciani interjectionum inopiae habemus loco. Si dixerint: cum cultioribus terrae nationibus rem hoc vel illud nominamus, placebunt.

Ubi satis saltatum et sudatum erit in thermopolium ingressi nos mandabimus duo pocilla vini «coniaci», illis ememus lagunculam —bombax! hic me mihi relinquit Baccius— illis igitur proponi jusserimus totidem pocilla potionis alcoholicae, vini frumentarii, quod «acquavite» Itali dicunt, quae potio, quod conficitur in civitate Galliae cui nomen Cognac, in orbe terrarum excepto Latio, etiam *cognac* appellatur. Dum illi nostri sorbillant alcoholicam potionem, quam cognac appellant ii qui linguam Latinam non callent, nos delibabimus nostrum (vinum) «coniacum», quemadmodum Horatius Flaccus sub arta vite vile potabat Sabinum, forte Falernum, Massicum, quaedam alia vina, quibus exemplis quidam ex nostris, Xylander, credo, ausus est «conacum», ego «coniacum», imitari, et vinum «cerasinum» feliciter fecit, quandoquidem ad conficiendam hanc acrem potionem cerasa adhibentur, et haec omnia salva et incolumi universa Latinitate. Et interrogabuntur quid habeant Latinius, Latinius inquam, pro lacte «yogurtino» vel quando orbis Latinus ruiturus sit, si id genus tam salubris intestinis lactis «lac bacteriatum» pro «yogurtio lacte» vocavero. Ad extremum, ad tranquillandos nervos, vel si mavis animos magnam in medio collocari jurebimus ollam ferventis «coffae» unaque lac et pyxidem sacchari, unde vergemus nos coffeam in paratâ pocula —internationali nomine— illi potione delectabuntur ex faba Arabica confecta quae tamen nata in Brasilia est.

Vides, o Miri, quo me rapuit excitatus a viris *Latinitatis* animus. Sunt illis sua de optimo genere linguae Latinae iudicia, sua putamina classicitatis, nitidulae, calamistratae, odoratae optimorum scriptorum dictiones, tersarum lenocinia figurarum, teneamus nos nostram in eandem provinciam, hoc est in

Latinitatem viam. Caveamus nos, ne parum cogitata vocabula mandemus typis. Illos misereat nostrae rusticitatis hirsutaeque barbariei, sed desinant odioso supercilio horrere nostras corruptelas, et sibi persuadeant nos cotidiana lectione scriptorum aetatis aureae sermonem nostrum polire et excolere. Desinant vociferari perniciem rei Latinae melioris, cum quid nos minus angustii aut anxii suo nomine appellari posse existimaverimus, si nomen Latinum res non habeat, quo nos agendi modo non minui veram Latinitatem putamus, sed compleri, conservari, a criminationibus stultorum: esse rem vetustate collapsam obsoletamque, vindicari. Est in quibusdam meis litteris nuperrime redditis: timendum esse, ne Romani suis elegantiss et obscuratationibus rerum simplicium impediunt potius usum linguae quam promoveant, et Romanos videri nomine notare barbariae, si quid non ipsorum officina sit prosum. Dura verba, fateor, sed si etiam plura Coppiana iudicia legerimus, non potero non et ipse moveri.

Habes commilitonis de re communi litteras, longiores quam vellem, sed quibus cognoscas habere te in aestu socios. Cura tuam valetudinem. Tyrsturo, Superioris Palatinatus ex oppido, XV kal. Julias, septuagesimo diei natalis mei anniversario, anno Christi 1955.

E. Asisi PALAESTRAE LATINAE Moderatori S. P. D.

Magno cum gaudio denuo exortam PALAESTRAM accepi quae ad virorum antiquitatis studiosorum solacia pertinet et sic avide arripui ut si diuturna inedia consumptus explere eam cuperem. Cum primum legi nihil prius faciendum quam tibi gratularer de novo tam eximii convivii reditu sum arbitratus. Nihil profecto ad levandos animos in iis celeritatis et malitiae temporibus tantum adjuvat quam diuturna librorum consuetudo mentiumque illustrium frequentia; superi utinam consentiant ut haec antiquitatis acta inter humanissimos viros diffundantur diuque nobiscum permaneant. Hoc unum est necesse: ne animum dimittatis et nova clarae mentis testimonia prodatis. Hoc tibi ornamento, nobis solacio erit. Dabam die XVI a. k. sextiles. Elmanticae.

NOVA ET VETERA

AMNIS

1. Aqua unum est, idque aliis longe frequentius, ex praecipuis terrarum orbis elementis. Itaque aqua est pluvialis seu pluvia, collecta aliquando potionis gratia in cisternis; est et aqua viva vel perennis: aqua stagnans, reses in stagnis. Est quoque puteana vel putealis, in puteis ad varios usus conservata; aqua fontana, palustris, lacustris, nivalis, glacialis, roralis, fluvialis.


De hac sane ultima pauca, occasione adjunctae tabulae pictae data, mihi dicere placet. Jam vero, jugis decursus aquae, plus minus abundantis, qui quidem in alium vel in mare influit, nuncupari consuevit: *Amnis, flumen, fluvius, rivus, rivulus*. Quae tamen voces haud in eundem penitus sensum vergere necesse est; sed aliquanto, ut plurimum, inter sese, neque immerito, differunt.

Voces enim *fluvius* et *flumen*, ex verbo «fluere» derivatas, aquae decursus notionem in primis exprimere in aperto est: alteram modo quasi concreto et materiali; alteram vero abstracto, quod auctores de re docent. Idcirco belle dices ingenii, verborum flumen; at neutiquam ingenii, verborum fluvium, quod Latinae esset linguae improprium.

Fluvius designat saepe numero decursum aquae parvum, qui in alium influit, *flumen* autem magis permanens esse, ejusdemque copia grandior, solet. *Rivus* et deminutivus *rivulus*, ex voce Graeca *ῥέω* (fluo), aquae sunt fluentia minoris quippe momenti.

Vocabulum denique *amnis* —juxta Döderlein— originem sumit ab «agmine»; id quod suadere videntur voces Latinae hujus modi tenoris: Caelo venit agmen aquarum...; leni fluit agmine Tigris... Atque ideo hoc in vocabulo magis elucere diceris roboris virtutisque notionem. Ex quo vox «amnis» significare potest fluentum natabile et jucundum ex riparum amoenitate.

Auctore autem Varrone, vocabulum *amnis* ex verbo «ambire» derivatur, quae aliquo modo res cum ipsa rerum natura quadrare videatur. Aliter tamen Ernout · Meillet. Sed haec hactenus. Recole nunc, sodes, quae de re in pictura numero ac nomine consignantur:



- | | | | |
|----|---------------------------------------|----|---|
| 1 | <i>Punta, apex, icis</i> | 16 | <i>Meandro, maeandrus</i> |
| 2 | <i>Cabecera, fons, tis</i> | 17 | <i>Cauce, alveus, i</i> |
| 3 | <i>Torrente, torrens, tis</i> | 18 | <i>Estero, aestuarium, i</i> |
| 4 | <i>Cuenca, alveus, i</i> | 19 | <i>Olla, gurges, itis</i> |
| 5 | <i>Valle, vallis, is</i> | 20 | <i>Arroyo, rivulus</i> |
| 6 | <i>Hoz, fauces, tum</i> | 21 | <i>Arroyada, rivuli cursus, us</i> |
| 7 | <i>Rambla, pluvialis via</i> | 22 | <i>Torno, anfractus, us</i> |
| 8 | <i>Desembocadura, ostium fluminis</i> | 23 | <i>Afluente, influens rivus</i> |
| 9 | <i>Delta, delta (indecl.)</i> | 24 | <i>Mesta, aquae mixtae, arum</i> |
| 10 | <i>Barra, brevia, tum</i> | 25 | <i>Mejana, parva insula</i> |
| 11 | <i>Rta, fluminis in mare ostium</i> | 26 | <i>Remanso, stagnans aqua</i> |
| 12 | <i>Subafluente, influens rivulus</i> | 27 | <i>Vado, vadum</i> |
| 13 | <i>Afluente, influens rivus</i> | 28 | <i>Ribera, ripa</i> |
| 14 | <i>Confluencia, confluens, tis</i> | 29 | <i>Brazo de río, brachium (ramus) amnis</i> |
| 15 | <i>Cascada, cataracta</i> | | |

2. Vapor aquae, ex massis in terra liquidis, uti oceanis, maribus, lacubus paludibusque emanatus, laxatur natura densaturque; atque identidem super faciem terrae labitur, vel in ejusdem profundos se specus penetrat; quae aqua denuo, quasi corticem informans terrestrem et lineamenta definiens, appreat.

Itaque decursus hac effecti ratione amnes, flumina, fluvii, rivi, rivuli latine appellantur. Ex eorum vero mira naturae ac formae varietate, et vario decorantur usu variaque notione in scientia geographiae nunc temporis venire solent.

Momentum quod inest his aquarum decurrentium molibus, ad vitam commodumque totius regni vegetabilis et animalis, praestantissimum omnino. Atque ut terrarum mutatores et agrorum irriguorum effectores, amnes

fluviique locis nivis vorticibus frequentibus multo quidem praestant, qui natura in partibus dumtaxat montium superis agere possunt; immo vero etiam et ipsis oceanis maribusque, quodam modo, praestant. Horum enim potens actio lineis riparum continentium et insularum definitur.

Nostra vero aetate in arte industriaeque progressus, navigationis ope, cum maria tum flumina maximi sunt momenti ad mutuum cum populis commercium stabile reddendum; et aquae, quae de altitudine montium in cassum prorsus irent, magnos in lacus technica arte effectos coguntur, qui tanquam nutrimento sunt fabricis et lumen in civitatibus distribuunt.

Enimvero magnum momentum decursuum aquarum, procul dubio, est in geographia physica; multoque sane majus in geographia humana, cum hominum consuetudo et progressus in populis maxime conjuncta sint cum eorum natura et frequentia. Multi terrarum orbis amnes jam pristinis Romanis noti erant. En tibi nomenclatura praecipuorum:

Albis, is	Elba	Matrona	Marne
Anas, ae	Guadiana	Mincius	Mincio
Arar, aris	Saona	Minus	Misno
Atax, actis	Aude	Mosa	Mosa
Baetis, is	Guadalquivir	Mosella	Mosela
Carantonus	Charenta	Nilus	Nilo
Danubius	Danubio	Orontes, is	Oronte
Dravus	Drav	Padus	Po
Druentia	Durancia	Rhenus	Rin
Durius	Duero	Rhodanus	Rodano
Duranus	Dordoña	Savo, onis	Saon
Euphrates, ae, -is	Eufrates	Scaldis, is	Escalda
Ganges, ium	Ganges	Sequana	Sena
Garumna	Garona	Tagus	Tajo
Iberus	Ebro	Tamesis, is	Tamesis
Indus	Indo	Tiberis, is	Tiber
Ister, tri	Danubio inferior	Tigris, is	Tigris
Jordans, is	Jordan	Vistula	Vistula
Ledus	Lez	Visurgis, is	Veser
Liger, eris	Loira	Vulturnus	Volturno
Maeandrus	Meandro		

3. Plagae terrarum orbis magis umidae, ex fluminum frequentia ac vaporis aërei abundantia, sunt, in genere, aequatoriales; plagae autem minus umidae, circumpolares; inque primis illa eremi zona, quae totum diagonali modo antiquam continentem, a Sara usque ad desertum Gobiense, decussare videatur.

Idcirco amnes maxime copiosi in plagis sunt intertropicalibus, quae, ut plurimum, ignotae Romanis pristinis remanserunt. Inter maxima flumina orbis, sunt Amazonas et Congus; sequuntur Nilus, Niger, Ganges, quae in

antiqua continentii inveniuntur; in nova vero Missisippius, Orinocus, Parana et alia, tibi quae geographia offert recolenda.

Europa ea pars mundi est potius fluviis irrigata, excepta fortasse paeninsula Iberica, quae regio in genere aridior habetur. Desunt ibi decursus aquarum colossici, sicut in plagis quae inter tropicos manent; bene autem multi sunt moderatae extensionis, navigabiles aliquando, iique facilis quidem inter diversos alveos communicationis.

In cursu amnium quasi tres natura sectiones considerari possunt. Cursus superior: aquae sese praecipites e montibus dant, salientes ac spumantes; erosio per valida solorum circumjacentium. Tanquam aetas juvenilis est. Cursus medius: fluentum tranquillum, amplas sane lineas curvas describens, materiasque ex utraque riparum parte evehens, quae per alveum distribuuntur. Aetas vigens.

Cursus denique inferior: frequentior aquarum copia, earumque lenta profectio; distributio materiaram vecturae, quae subsident ac planities alluvionis, plerumque palustricas, constituunt. Hic amnis contendere impensis maris videtur, cursum in eodem protrahendo. Aetas provecta, cui mors consequitur in sinu maris: gurges omnium quidem totius orbis aquarum communis.

Fasciculum tibi, curiose lector, de re vocum, iis ut finem imponam, collegi:

Effusus, vagus amnis, río que va por donde	Rhenus profluit ex Alpibus, el Rin nace en los Alpes
Fluvius praeceps, rapidus, río rápido [quiere]	Oceani amnes, las corrientes, las olas del Océano
Fluvius torpens, lentus, río manso	Flumina in contrarias partes fluxerunt, los ríos se entrecruzaron
Navium patiens flumen, río navegable	Rhodanus fluit inter, el Ródano fluye entre
Pervius amnis, río vadeable	Ea quae natura fluunt, los cuerpos flúidos
Fluentum, la corriente del río	Fluvio vivente, con agua corriente
Fluvit alveus, la madre, el cauce del río	Propter aquae rivum, al borde de una corriente
Adverso flumine, río arriba	Rivulus, hilito de agua
Secundo flumine, río abajo	Ruunt de montibus amnes, los torrentes se despeñan de los montes
Jungere ponte amnem, echar un puente sobre el río	Liquores perlucidi amnitum, el cristal de los ríos
E rivo flumen facere, ponderar mucho una cosa pequeña	Lent fluit agmine flumen, corre apacible el agua
Argentii rivus, mina de plata	Fluvio secundo defluere, dejarse llevar de la corriente
Lacrimarum rivus, río de lágrimas	Ultra Albim fluvium, al otro lado del Elba
Aquam ex flumine derivare, desviar el agua del río	Perfussa fluvio terra, tierra de regadío
Tiberis loca urbis plana inundavit, el Tiber inundó los bajos de la ciudad	Sese fluctibus committere, arrostrar la tempestad
Extra ripas flumen diffluit, se desborda el río	Excitatis maximis fluctibus, con un temporal borrascoso
Rhenus multis capitibus in Oceanum influit, el Rin desemboca al Océano por numerosas bocas	Excitare fluctus in simpulo, alborotar por una nonada

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CURSUS GYMNASTICUS

O FONS BANDUSIAE, SPLENDIDIOR VITRO

(Hor. *Carm.*, 3, 13)

O fons Bandusiae, splendidior vitro
dulci digne mero non sine floribus,
cras donaberis haedo,
cui frons turgita cornibus

*Más clara que que el cristal, fuente Ban-
[dusia,
digna de flores y de dulce mero,
te ofrendaré mañana un cabritillo
a quien la hinchada frente do despuntan*

primis et venerem et proelia destinat.
Frustra; nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine rivos
lascivi suboles gregis.

*nacientes cuernos llama a lid de amores.
Pero en vano; que teñirá a honra tuya
las frías ondas con su roja sangre
el recental del triscador rebaño.*

Te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.

*No osa el canicular ardiente fuego
tocarte, tú frescura deleitosa
a los bueyes rendidos por la reja
ofreces y a la grey que anda errabunda.*

Fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cavis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

*Tendrás la gala de famosas fuentes,
pues cantaré la encina que sombrea
los cóncavos peñascos desde donde
sueltan el brinco tus locuaces aguas.*

M. M.

Carminis argumentum et indoles

Horatius vitreas Bandusiae undas pridie sacrificium renidere conspiciens (v. 1), merum, flores, haedumque in primis memorat, cujus in turgida fronte cornua ad venerem et cum rivalibus certamina erumpunt (v. 2-5). Sed frustra, nam haedus, flore aetatis vicens, sanguine imbuet rivos fontis (v. 6-8). Deinde vates miratur flagrantem Caniculam tangere non posse fontem qui amabile frigus fessis tauris errantique pecori praebet (v. 9-13). Demum Horatius plane profitetur Bandusiam, praesertim cum ipse carmine celebret ilicem

imminentem cavis saxis e quibus loquaces lymphae desiliunt, in numero nobilium fontium habendam esse (v. 13-16).

Ex argumento patet agi de carmine ab Horatio composito in laudem cuiusdam fontis, nomine Bandusiae, cui sacrificium crastinum instituit. Fontem, qui sua natura sacrarum rerum cultum adscribitur, poëticis oculis vates contemplatur. Per arduum sane, nostra aetate, investigare quam vera sinceraque animi fide Horatius coluerit religionem. Quidquid id est, in dubium venire non possumus quin Venusinus, quasi numine humilis ac sacri fontis instinctus, venustissimum carmen composuerit.

Hoc igitur poemate vates fontem, uti videtur, fundi Sabini, summis laudibus effert ac scopulos hujus generis laudatorii superans, pulcherrimis imaginibus poëticis extollit virtutes ac proprietates, quas celeberrimus quisque fons certe sibi desideraret. Nam splendidiorem vitro praedicat fontem (v. 1), dignum cui sacrificium instituat (v. 2-8), valde gelidum (v. 9-10), amabile frigus elargientem (v. 10-12), inter nobiles fontes renidentem (v. 13), opaca illice contactum (v. 14-15), loquacem (v. 16). Quam ampliorem eamque magis poëticam laudationem nullus fons expetere umquam potuit?

V. 1-8. CRAS DONABERIS HAEDO

Pridie campestrum Fontanaliū diem Horatius adfuisse videtur iis rebus ad sacrum insequentis diei idoneis comparandis, vino nempe, floribus, haedo (v. 1-5). Quibus ita rite peractis, vates mentis ope scaenam sibi fingit in qua crastinum sacrificium ad fontem perficietur (v. 6-8).

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
 dulci digne mero non sine floribus,
 cras donaberis haedo,
 cui frons turgida cornibus
 primis et venerem et proelia destinat.
 Frustra; nam gelidos inficiet tibi
 rubro sanguine rivos
 lascivi suboles gregis.

O fons Bandusiae: gen. possessivus (fons sacer Bandusiae) vel, si mavis, denominativus (ut «Galaesi flumen», *Carm.* 2, 6, 10); veri simile videtur hoc nomen fuisse Nymphae quae «ad aquae lene caput sacrae» (*Carm.* 1, 1, 22) domicilium sibi constituisset; hoc loco et fontis et Nymphae nomen fit unum atque idem. Sed quisnam igitur est hic fons Bandusiae? En quaestio valde ab interpretibus Horatiani disceptata atque exagitata. Alii contendunt fontem ad Venusiam situm fuisse —qui fons vel ineunte saeculo XII post Ch. n. nomen Bandusiae servabat— et cum Horatius quondam Tarentum petens denuo fontem contemplaretur, victimam et carmen gratum animi devovisse. Alii vero duobus Horatiani locis innixi (*Sat.* 2, 63; *Epist.* 1, 16, 12) asserunt fontem, qui in fundo Sabino flueret, fuisse. Nonne vero utraque sententia conjungi inter se potest? Bandusia enim tunc fontis re ipsa Venusini nomen esset; tamen poëta, ab aliqua

plia suae pueritiae memoria, hujus modi nomen Bandusiae fonti Sabino indidisset. — **splendior vitro**: hac comparatione utitur Horatius ad purum et pellucidum liquorem aquarum laudandum. Ad hanc pelluciditatis imaginem quod spectat, cfr. *Carm.* 1, 18, 16: «arcanique fides prodiga, pellucidior vitro»; «purus et vitreus» a Plinio vocatur amnis Clitumnus (*Epist.* 8, 8, 2); ferme idem apud Ovidium: «Est nitidus vitroque magis perlucidus omni / tons sacer» (*Her.*, 15, 157). Notationem dignam habemus vim musicam totius versus: sonus enim qui subraucus incipit, paulatim dulcescit propter scitam phonematum (*f - ns. - b - nd, spl - nd*) et syllabarum homophonarum in fine versus (*di-or, vi-tro*) compositionem. — **dulci digne mero non sine floribus**: poeta res et sacrificium comparat: vinum, flores, haedum. Fonti merum offerri decet quod ritualibus libationibus inserviat uberesque (*non sine = et*, quae figura a rhetoricis *litotes* appellatur) flores in coronas collectos. Ipse Varro (*Ling Lat.* 6, 22) asserit morem apud Romanos fuisse festis Fontanalibus (a. d. III Idus Octobres) flores in fontes immitendi puteosque ornandi: «In fontes coronas jaciunt et puteos coronant». Nota disjunctionem *dulci - mero*, qua accuratius meri dulcedo commendatur. — **cras donaberis haedo**: *cras*, id est, crastino Fontanalium die; *donaberis haedo*, non tantum mero et floribus sed etiam haedo fons adeo eximis proprietatibus excellens donabitur. Romani mactabant haedos quibus propitios sibi deos redderent. Apud Martialem Nymphae cujusdam fontis porco litatur (6, 47, 4) et apud Ovidium (*Fast.*, 3, 300): «Huc venit et fontis rex Numa mactat ovem». Nec unum quidem misericordiae erga innoxiam victimam verbum; hujus modi querela aliena videretur, nam fontis numen sua jura habet. Quae amplissima laus est sacrae indolis quam poeta in Bandusia non potest non agnoscere. — **cui frons turgida cornibus**: inversionem epitheti *turgida* notamus qua vates vividiore modo imaginem cornuum e fronte erumpentium illustrat. — **et venerem et proelia destinat**: en fortasse hendiadis: *venus et proelia = veneris proelia*. Imago dinamica tam venuste reddita aptissime exstat ad vim et impetum animalis exprimendum. Horatius, qui vinum et flores obiter tangit, vivida et dinamica pictura haedi delectatur; ipsi enim perplacebat victimas sacrificiis vovendas, vigoris et vitae plenas repraesentare. Cfr. *Carm.* 3, 22, 7-8, ubi sus apparet suae vis et potentiae conscius: «verris obliquum meditantis ictum-sanguine donem». Vide significantem versus structuram: verba, ope «hyperepidesis» ὑπέρ = trans, ἐπί = super, δέσις = ligamen. gall. «enjambement» hispan. «encabalgamiento». Cfr. PALAESTRAE LATINAE fasciculum 129, pag. 92), in secundam carminis stropham vehementer irrunt, nam vis, impetus, vita vivacissimi haedi prima tantum stropha includi non possunt; inde productio sententiae in versum proxime subsequentem. — **frustra; nam**: adverbium *frustra* principio versus significanter impositum, cui particula explicativa *nam* subsequitur (Cfr. quoque *Carm.* 3, 7, 21; *Sat.* 2, 7, 115), vivacissimum animal vitaeque pollens, nunc jugulatum et exsanguis praebet. — **gelidos... rivos - rubro sanguine**: pulcherrima verborum oppositio: aqua frigida ac pellucida cum rubro ac tepido sanguine contrarie confertur. Quae imago antithetica «plastiche» illustratur comprehensione «syntagmatis» *rubro sanguine* inter disjunctionis membra *gelidos - rivos*. Est cur animadvertamus suavem hanc «hyperepidesim», quae totius strophae elementa adeo apte religat ut ruber sanguis nitido paulatim fontis liquore dilui perspicue videatur. — **lascivis suboles gregis**: pulchra circumlocutio poetica, qua imaginem v. 5 breviter revocans denuo in mentem suscitatur haedi arrogantiam atque vivacitatem. Quoniam *frigus amabile... pecori vago fons praebet* (v. 10-12), aequum et bonum est aliquam e grege quoque victimam sacri fontis undas imbueri cruore. Vide demum chiasmum antitheticum:

gelidos - rubro
sanguine - rivos.

V. 9-12. FRIGUS AMABILE... PRAEBET

Vehementissime saevit aestus. Oculi, intenti collibus longinquis et pulveri viarum qua procul lateque errabundus grex et fessi boves appropinquant,

quodam leni sopore clauduntur. Juxta fontem atrox hora Caniculae et amabile umbrarum frigus magna vi quasi contendere videntur. Tamen, quamquam exustus ager aestuat, opaca ilice sol tangere fontem prohibetur.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.

Te: primum strophae locum habet. Vide anaphoram et oppositionem pronomini secundae personae: *te, tu*. — **flagrantis atrox hora Caniculae:** his verbis vates significat aestuosissimum aestatis tempus, quo vehementissime saevit Canicula. Horatius nunc revocare videtur horam qua, ut Vergilius (*Georg.* 4, 401) ait, «sitiunt herbae et pecori jam gratior umbra est». Sensus caloris vividius exprimitur praesertim cum Venusinus «syntagma» *atrox hora* duobus membris disjunctione insignitis *flagrantis-Caniculae* inseruerit. Huc accedit epithetorum *flagrantis* et *atrox* juxtapositio, quo instantius aestus significetur. — **nescit tangere:** idem sonat atque non te tangit, quia te tangere non potest; vis Caniculae te non tangit, etsi iniqui soles densos illic ramos frustra penetrare conentur. Verbi *tangere* imago, quae ad tactum spectat, *flagrantis* horam Caniculae intensius producit, quasi aestus etiam ex corporea quadam materia constaret. Haec «hypereptidesis» abrupta: *Caniculae - nescit tangere* optime decet Caniculam et solem cujus ardentes radii in illic, quae fontem umbra contigit, colliduntur. — **tu frigus amabile:** quibus verbis *atrox hora* contrarie opponitur. Latebrae sub arboribus Horatio in delictis erant. Cfr. quoque: «Hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae / incolumen tibi me praestant Septembribus hortis» (*Epist.* 16, 15-16). Inversionem *frigus amabile* considera, qua poeta notat frigus bubus et ovibus desiderabile. — **fessis vomere tauris:** Cf. Horatium: (juvat) «videre fessos vomerem inversum boves / collo trahentes languido» (*Epod.* 2, 63-64). Etsi nihil dicat Horatius de natura locorum quae fonti adjacent, tamen his versibus, quae Bandusiae loca circumstant, quodammodo adumbrantur atque describuntur. Nemo non videt pro fonte gelido arva sole perusta unde tauri fessi accedunt et pone fontem saxa atque praeupta loca ubi rari dispersique pascuntur greges. — **praebes et pecori vago:** fons liberalis quoque repraesentatur, quasi Nympha Bandusia frigidissimae aquae donum pecudibus sua manu elargiretur. Cfr. Horatium: «jam pastor umbras cum grege languido / rivumque fessus quaerit» (*Carm.* 3, 29, 22-23). Noli inversionem *pecori vago* praeterire, nam greges libere huc illuc errant, dum tauri jugo submissi accedunt. Nota demum chiasmum:

fessis - tauris
pecori - vago

Duplicem «hypereptidesim» observa: *amabile / fessis; tauris / praebes*, quae tres versus coniungens protenditur, quasi ut exprimat perpetuum frigoris donum, quod fons tauris pecorique continuo elargitur. Praeter gelidus, fit quoque fons largus et liberalis.

V. 13-16. FIES NOBILIUM TU QUOQUE FONTIUM

Horatius sese meridiana apud fontem voluptate torpere non sinit, immo munifici animi motu Bandusiae immortalitatem donare contendit: «mactabitur haedus, tauri et pecora abibunt, ipse quoque decedam; tu autem non morieris meamque memoriam tuis rivulis in posteros trades».

Fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cavis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

Fies... fontium: haec propositio, quod summum culmen carminis videtur, quamvis omni poëtica imagine seu repraesentatione carens, nudam vaticinationis pompam habet. Vide verbum *fies* quod orationi praeit eo quod affirmationis sit praecipuum et syntagma *tu quoque* inter vocabula *nobilium* et *fontium* positum. Mens advolat ad fontes quos poëtae tot tantisque laudibus celebrarunt: Castaliam nempe, Hippocrenem, Dircem, Arethusam aliosque, quibus Bandusiam inserat. Lectorem ne fugiat eorundem sonus in extremis hemistichiis repetitio: *nobilium, fontium*, quae sensum vocabulorum similiter cadentium significantius notat. Cfr. apud ipsum Horatium similem hemistichia finiendi modum in eodem carmine (*Carm.* 1, 1): «*evitata rotis palmaeque nobilis*» (v. 5); «*terrarum dominos evehit ad deos*» (v. 6); «*hunc si mobilium turba Quiritium*» (v. 7); «*illum si proprio condidit horreo*» (v. 9); «*quidquid de Lybicus verritur areis*» (v. 10); «*quod si me lyricis vatibus inseris*» (v. 35). — **me dicente:** hic ablativus absolutus sensum causalem habet. Pauca de Bandusia poëta dicit, quia nimia rerum descriptio ab humili, ingenuo, pulcherrimo fonte aliena esset. Sufficit ut ilicem cavis saxis impositam celebret, quae imaginem fontis optimi perfectam in mentem repraesentet. Horatius significat pulchritudinem naturae poëtarum ingenio indigere, sicut mira ac magna hominum opera apta parique voce necesse est celebrari. Aetate jam provecta suaeque artis perfectae conscius, hoc carmen fecisse vates videtur. — **cavis... saxis:** haec verba *impositam ilicem* complectuntur, quasi ut poëta vivide exprimere vellet ilicem undique circumdari saxis. Praeterea notemus «*hyperepidesim*» *ilicem / saxis* plasticè simulantem ilicis amplitudinem, quae protensis et opacis ramis cava saxa obscurat. — **impositam ilicem:** poëtae perplacet antra arboribus obumbrare. Cfr. Vergilium: «*populus antro / imminet*» (*Buc.* 9, 41). — **loquaces lymphae:** iterum aqua quae initio procul visa splendebat; nunc vero, quasi propius et appropinquissemus, ex antro quodam haud intellegibilem verborum murmure desilentem audimus. Hoc murmur, quatenus est imago ad visum, motum auditumque spectans et verbo *desiliunt* — quod spectaculum aquae cadentis nobis praebet — corroborata, carmen in mente nostra sine fine placide producit. «*Hyperepidesis*» finalis: «*loquaces / lymphae desiliunt tuae*» protendit quoque imaginem auditivam aquarum continuo murmurantium.

Hactenus mihi videor de fonte Bandusiae non nihil dixisse, quamquam exiguo horum commentariorum spatio effectum est ut, ne amplius tua, humanissime lector, comitate et affabilitate abuterer, alia plura praeterirem. Tamen velim fontem tandem respicias, ne scala chromatica, quam ad explicandum carminis argumentum adhibet Horatius, te forte lateat.

Primum perstringit oculos purus splendidusque nympharum nitor (v. 1); deinde suavem ac temperatum colorem vini Sabini et florum videmus (v. 2); haedus et pelle et cornibus paulo acutiorem colorem praebet (v. 3-5); mox ruber accedit cruor qui in nitido fonte remittitur paulatim (v. 6-8); sed summus scalae chromatae apex est in candenti aestu Canticulae (v. 9-10); vehemens luminis radiatio perdurat, sed aliquot intermiscuntur umbrae cum sub primos ilicis ramos tauri ceterique pecudes perveniunt (v. 10-12); tunc color viridis et obscurus, fere taeter, arboris et saxorum sub latebris jacentium (v. 14-15); postremo iterum aquae nitor, ut in primo carminis versu, sed adeo limpidus et ab omni concretione coloris sejunctus ut in saltum dumtaxat et murmur desinere videatur. Qua carminis chromatica interpretatione Horatium poëtam «*plasticum*» — fere enim omnes imagines ad visum spectant — lectoribus praebemus et celebramus.

M. MOLINA, C. M. F.

PER ORBEM

VIII Curriculum Linguarum Classicarum atque Litterarum Hispanicarum. — *Consociatio Hispanica Litteris Humanioribus excitandis* VIII Curriculum Linguarum Classicarum praeparat; quod Curriculum Salmanticae, a die quinto ad vicesimum quintum mensis Augusti habebitur. Index curriculi, in partes tres divisus, quaestiones de lingua Latina, Graeca et Hispanica proponit. Quaestiones Latinae aetatem auream litterarum Latinarum (s. I a. Ch.) tantum considerant; quaestiones vero Graecae aetatem, quam dicunt classicam, litterarum Graecarum (s. V-IV a. Ch.); quaestiones demum Hispanicae aetatem apud Hispanos auream (S. XVI-XVII).

V Congressus Scientiarum Onomasticarum. — Ut in superiore PALAESTRAE LATINAE fasciculo scripsi, a die undecimo ad decimum quintum mensis aprilis Salmanticae habitus est V Congressus Scientiarum Onomasticarum, cui clmus. v. Antonius Tovar, Universitatis Salmanticensis Rector, praefuit. Ad ducenti viri eruditissimi congregati sunt, qui disputationes de Toponymia Romaniae et Hispaniae ac de substratis sapientissime scripserunt. Dolendum tamen est quod exiguae fuerint dissertationes de antiqua toponymia Graeciae et Romae; nam, ut in ephemeride «*Estudios Clasicos*»¹ luculenter exponitur, dissociatio inter studia linguarum antiquarum et studia linguarum recentium in commune semper vergit malum.

Etiam mense Augustio, in ea parte seu sectione *Litterarum Humanorum Universitatis Aestivae Fani Sti. Andreae* (Santander) collationes habebuntur quibus de «*inventione amoris in Graecia*» agetur.

Consociatio Hispanica Studiis Classicis provehendis. — Cum etiam exterorum civium, qui PALAESTRAM LATINAM evolvunt et legunt, plurimi interesse poterunt collationes quas *Consociatio Hispanica Studiis Classicis provehendis* praeteritis mensibus habuit, summatim recensemus:

a) MATRITI: (27 - I - 55): *Los últimos hallazgos de Ampurias y la aplicación de la técnica estratigráfica en las excavaciones arqueológicas* (D. Martín Almagro); *Nueva interpretación del carmen de los Hermanos Arvales* (D. Agustín García Calvo); *Transliteración del griego al alfabeto latino* (Sr. Fernández Galiano); (11 - V - 55): *Análisis estilístico de Ovidio «Metamorfosis» V 588* (D. Eugenio Hernández-Vista); *El juramento por los combatientes de Maratón - DEM. «Pro Corona» 208* (P. Domingo Mayor, S. I.); b) SALMANTICAE: (4 - XI - 54): *El problema de la identificación arqueológica del pueblo indoeuropeo* (D. Juan Maluquer de Motes); *Quintiliano y la creación del artículo en latín* (P. Campos, Sch. P.); (27 - V - 55): *Nombres de vientos y aves en latín y etrusco* (Dr. A. Tovar);

1. *Estudios Clásicos*, III, 15 (1955) 152.

Observaciones sobre el silabario minoico lineal B. (E. Albarrán). c) BARCINONE: (28 - II - 55): *Observaciones a la técnica de Eurípides* (D. José Alsina); *Supervivencias del genitivo en la onomástica española* (D. J. Bastardas); *La elegía a Pericles de Arquilocho y el tema del consuelo en la desgracia* (Francisco R. Adrados); (1 - III - 55): *¿Muchos pretendidos germanismos y celtismos de la literatura medieval, no podrían ser classicismos?* (D. Martín Riquer); *Segundo desenlace de la comedia «Andria» de Terencio* (D. Lisardo Rubio); (17 - V - 55): Ἐπιτομή πρὸς τὴν διατίθεσθαι (D. Francisco Sanmartí); *La literatura dramática latina del Renacimiento* (D. José M.^a Casas); *Elementos clásicos en el Calendario románico bordado de Gerona* (D. Pedro de Palol).

Certamen Capitolinum VII. — *Institutum Romanis Studiis provehendis ad Certamen Capitolinum VII omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat. Praemia ac Leges quae superiori certamini sunt proposita et huic quoque adjiciuntur. Libellorum exemplaria mittantur ad «Istituto di Studio Romano - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - Roma», ante kalendas Februarias proximi anni.*

Certamen Vaticanum alterum. — *Iisdem legibus ut praeterito anno proponitur. Iis qui sunt in ordine peritorum linguae Latinae docentium decem argumenta proponuntur; quinque priora soluta oratione exprimenda; alia quinque astricta oratione:*

De satura Romanorum. - Nemo in historia rerum gestarum validior Caesare fuit. - Quid hodie sentiendum de Lexico Forcelliniano ejusque editionibus. - De atomica vi ad artes honestas pacisque utilitates adhibenda.

Nox divys irradiata fulgoribus; e sacris Romanorum cryptis novus saeculorum nascitur ordo. - Animi cruciatus: quem fugis, Deum semper obvium habes. - Homo sacra res homini (SEN. Ep. XV, 3). - Numquam invenietur, si contenti fuerimus inventis (SEN. Ep. XXXIII, 10). - Quibus inventis agrorum cultura nostris hisce diebus maxime juvetur.

Ii vero qui sunt in ordine adulescentium, unum ex his quinque argumentis soluta oratione tractabunt:

Vel antiquitatis exemplo posito vel nova ficta fabula confirmes quam illud sit verum: nemo potest personam diu ferre (SEN. De Clem. I 1, 6). - Roma humanitatem hominibus dedit (cf. PLIN. III, 5). - Tamdiu discendum quamdiu vivas (SEN. Ep. LXXVI, 2). - In summos Imai (Himalaya) montis vertices ascensus. - Quomodo parentur diaria, quae in vulgus emittuntur.

Quisque scriptor V exemplaria ad Direzione Latinitas, Città del Vaticano, ante Kal. Januarias anno MDCCCCLVII mittenda curabit.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

NONNULLA URBANITATIS PRAECEPTA

PAUSANIAS. — Manum admoveas, Oedipe, precor et feras opem ut et ipse novae vestis arbiter quam cultus prodeam.

OEDIPUS. — Tota die soles habere manus sub pallio (*vegetar en el ocio*) et vis tibi opitulentur alii? Adeone es tan segnis ac delicatus qui induere te nescis solus? Quid facies grandior? Cedo quid innovas (*estrenar*) hodie?

P. — Recens consutum epitogium; rogo ut me adjuves ad vestem induendam.

OE. — Fieri non potest, me enim rapiunt alio curae; o magnum virum qui aliorum ope indiget ut vestibus se induat! (*Abit*).

EUSTOCHIUM, mater. — (*Proripiens se domum*) Placide quievisti noctem hanc, mea lux? Surge cito, fili, plane tempus est ut pergas in ludum, neque illotis manibus et facie.

P. — Da pollubrum, mater, et aquam ut laver; cedo pariter manutergium ut lotus fricem cilia et os et caput totum.

E. — At surge velocius, fili, tempus fugit. Post lotionem absterge sedulo glandulas sub auriculis, quo sordes congeruntur saepius prae incuria. Vide ut recte compositus et cultus ad scholam te conferas, sicut puero decet urbano et bonis moribus, ut manus munda sint, unguum penitus tollantur maculae et ipsae ornate comptae sint, secus nonnihil

dedecoris praebent viro qui parvi eas facit atque contemnit.

P. — Etiam nunc aliquid mihi superest agendum ut ornem ne rusticus in aula appaream?

E. — Pectes comam diligenter et ante quam ad ludum litterarium perrexeris, lectum componas oportet et sternas; cave ne sudarioli obliviscaris ad nares, si opus sit, emungendas aut purgandas.

P. — Quid si illud irrorem unguento aut myro (*esencia olorosa*) inungam ut bene oleat?

E. — Absit! Hoc unum non sinam! Mundities in corpore praestat omnibus odoramentis; ceteroqui fac ut memineris illud: «*non bene olet qui bene semper olet*».

P. — Hujus rei deinceps memor ero, mater, ac saepius repetam imo corde.

E. — Deinde ut gravedinem vites hiemis tempore ne pedem ponas extra cubiculum quin abluas omni cura ab atlantio nodo, qui est cervix, ad vultum usque et faciem totam. Juvat instillare quandoque biforinarium viae parum aquae frigidae ut tutus sis ab omni morbi formidine et gravedine.

P. — Etiam his parebo, mater; nihil amplius restat ut decore prodam coram hominibus?

E. — Interdum necesse est cum sudor manat ad talos, corpus abluere integrum in balneo aqua saltem tepida non quidem raptim more felium sed accurate a planta pedis

ad verticem usque summum, ut ajunt. Parum lomenti (*jabón de tocador*) vel merum saponem fas sit adhibere, ast effugias odores omnis generis.

P. — Finem jam facis, mater condocefaciendi?

E. — Blennos dentes unquam geras, secus roduntur aerugine et carie; venum it apud pharmacopolas dentifricium idque mirum quo illi putantur; dentibus tandem incorruptis aliquando fit escarum confectio.

P. — Et his operam dabo in posterum.

E. — Curabis etiam diligenter ne ultra sex dies praesertim aetatis tempore afferas immutatam subu-

culam, femoralia, interulam, cet. Haec nihil ad salutem conferunt tandiu gestare. Si casu aliquid in vestibus deprehendas dissutum vel discerptum, resuendum brevi est, in calceis si quid est non convenienter compositum aut incompositum, resarciendum et concinnandum, si quid immundum, abstergendum et auferendus tibi pulvis est bitumine.

P. — His quoque per me dabitur opera sollicita.

E. — Accipe tandem monitum postremum, fili mi: si quos sales in ludo aut quovis loco non attingas neve calleas, noli arridere: «nam risu inepto res ineptior nulla est». Vale.

R. SARMIENTO, C. M. F.

Carmen

E. ASISI

Viderat aetherea superum Regnator ab arce
Mortales pronos in humum et caelestium inanes
Divinorum operum inmemores propriaeque salutis
Quosdam opibus, quosdam misera ambitione teneri
Vanaque sectari perituraque gaudia quosdam
Et paene extinctum jam religionis honorem.
Quae magnus pater aspiciens in vertice caeli
Constitit atque imis defixit lumina terris.
Est locus Italiae, quae se juga celsa Lavernae
Attollunt Tuscae, deserta et inhospita sedes;
Hic juvenis fugiens et opes et tecta parentum
Splendida tranquillam atque inopem sine crimine vitam
Ducebat silvasque colens atque invia tesqua
Mente peragrabat summi penetralia caeli.
Cum subito Deus, ecce Deus sub luce refulgens
Pura sese offert quaeque in cruce vulnera quodam
Aspera pertulerat juvenili in pectore pressit.
Redditaque est terris Christi morientis imago.
Sic Deus humanas revocare ad sidera mentes
Caelestique iterum voluit succendere luce.
Salve, magne pater, clarum jubar addite mundo.
Te duce, prisca piis redit in praecordia virtus.

COLLECTANEA

Notissima est apud eruditissimos viros explicatio tabularum Pyli et nonnullorum scriptorum Gnossi — quae sunt computata in scriptura lineari B — a sapientissimo viro Anglico Michaële Ventris proposita; qui quidem asserit agi de lingua Graeca antiquissima. Utilissima autem ad litteras Graecas ex explicazione M. Ventris deducuntur. En praecipua quae P. Chantraine in sua lucubratione *Le déchiffrement de l'écriture linéaire B à Cnossos et à Pylos* (1) proponit:

1) « Nous avons déjà dit que les tablettes nous font connaître un nouveau dialecte grec très archaïque, parlé entre 1500 et 1200 avant notre ère. Nous en avons déjà décrit les traits essentiels. Ce « vieil achéen », comme l'appellent Ventris et Chadwick, présente des particularités remarquables, et que l'on peut situer chronologiquement ».

2) « En ce qui concerne le classement du dialecte dans l'ensemble des dialectes grecs, nous avons déjà dit que le « vieil achéen » représente peut être une forme archaïque du groupe dit arcado-chypriote, et, comme on

l'attend, comporte une ressemblance avec Homère ».

3) « Le fait que des textes grecs se trouvent attestés à Cnossos antérieurement à 1400 avant notre ère modifie la chronologie habituellement admise pour la Grèce proto-historique ».

4) « Ma conclusion peut être brève. Depuis le déchiffrement du hittite, la découverte de M. Michel Ventris doit être tenue pour le progrès le plus important accompli dans le domaine des recherches de cet ordre ».

E. de Saint-Denis in commentatione cui index *Une orientation des études latines* (2) recognoscit rationes quibus his diebus studia linguae Latinae in scholis mediis refrigescunt. Praecipue, quas ipse numerat, sunt:

1) « la nécessité de former des hommes en vue de l'action »;

2) « l'hésitation des parents qui jadis faisaient étudier le latin à leurs enfants pour les hausser dans la hiérarchie des classes sociales ou pour les garder dans les rangs de la bourgeoisie éclairée »;

3) « la réussite partielle d'une campagne démagogique qui reproche au latiniste, de cultiver une science réactionnaire »;

4) « la certitude que des résultats solides et indiscutables confèrent aux inventeurs de lois mathématiques ou physiques, comparée à la modestie, à la timidité, à l'insécurité des humanistes »;

5) « la difficulté du latin pour des jeunes esprits aujourd'hui sollicités par les images qui défilent vertigineusement derrière les vitres des automobiles et sur les écrans des cinémas »;

6) « la faillite des méthodes de facilité appliquées à l'enseignement du latin »;

7) « la capitulation de maîtres trop nombreux qui négligent l'enseignement de la littérature latine, qui ne voient dans les textes anciens que matière à exercices grammaticaux, que champs de petites manœuvres pour philologues recroquevillés »;

P. CHANTRAINE, *Le déchiffrement de l'écriture linéaire B à Cnossos et à Pylos*, *Revue de Philologie*, XXIX, 1 (1955) 11-33.

E. DE SAINT-DENIS, *Une orientation des études latines*, *Les études classiques*, XXIII, 3 (1955) 239-258.

Quibus rationibus aliam ipse adjungit

•qui tend de plus en plus à précipiter les études latines: elles sont victimes de leur propre force, de leur traditionnelle efficacité. Ce qu'on demande surtout aux auteurs latins, c'est l'art de penser fortement et d'exprimer clairement sa pensée.

Il ne s'agit pas d'ailleurs de délaissier les *Géorgiques* de Virgile pour les *Res Rusticae* de Varron, ni le *Somnium Scipionis* de Cicéron pour les *Astronomica* de Manlius. Mais il importerait peut-être d'expliquer à nos jeunes gens, dans les *Géorgiques*, autre chose que les «épisodes» et morceaux de bravoure reproduits dans tous les recueils d'extraits; de leur montrer les réalités qui sont la substance des développements et prescriptions techniques, d'en faire comprendre les détails, l'intérêt et

la valeur en les confrontant avec les enseignements de Caton, de Varron et de Columelle; en tout cas, de préciser en quoi consiste la mise en oeuvre par le poète des données techniques: comment, par exemple, l'emploi du temps assigné au berger, par Varron, devient entre les mains de Virgile un horaire émaillé de notations pittoresques, et comment les échappées poétiques égalent tout ce qui est métier...

L'intérêt de ces sortes d'études croit donc au fur et à mesure que l'on va plus avant; loin d'être lexicographiques, elles touchent à la philosophie du langage, à la psychologie des peuples et des corporations, à l'histoire de la civilisation.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

JOH. MOREL. *Veroduni*. — Quae in epistula ad nos data scripsisti: «in PALAESTRA LATINA (fasc. CIL et CL) legenda, plurimum oblectatus sum; itaque mihi gratissimus eris, si pergere velis tuum tam jucundum libellum mihi mittere. Libenter profecto, si potuissem, dixissem tibi quibus paginis maxime delectarer; sed mehercule omnes meum studium tenuerunt»... et nobis gratissima fuerunt.

Prof. ED. v. WELZ. *Monaci Bavariae*. — Maximam animo percepimus molestiam cum illa abs te legimus: «hoc anno in lucem veniet, eheu, ultimus fasciculus, deficiente et pecunia et sodalium numero et auctorum»...: id sane omnes linguae Latinae cultores graviter afficiet, nam ex palaestra, in qua omnes currimus et allaboramus, socius, qui summam in rem nostram contulerat operam, discedet. — Qua re alios non coadunatis socios qui operam impendant suam?

BIBLIOGRAPHIA

CORPUS CHRISTIANORUM *Quinti Septimi Florentis TERTULLIANI opera Pars I Opera Catholica. Adversus Marcionem.* Typographi Brepols Turnholtt, 1953, pg. XXV-75

En hujus maximi operis fasciculus primus, qui auctoribus ac moderatoribus Monachis St Petri Steenbruggensis in Belgica eduntur. Hodie jam ubique terrarum doctis penitus notae sunt hujus novae Patrum collectionis proprietates, quae et Theologorum et litteratorum hominum maxime interest. Quod autem ad Hispaniam spectat, non nulli scriptores in scientificis ephemeridibus operis nuntium summo gaudio dederunt exultantes. Nonne enim de omnibus bene meretur scopus thesaurum Patrum VIII primorum saeculorum denuo, pulchre, scientificè, criticè edendi? — Quod propositum fuerat desideratissimum exsequi coeptum est, ita ut jam anno 1953 Q. S. F. Tertulliani opera ederentur Tertulliani autem operum pars prima, opera catholica adversus Marcionem continet. Primo fasciculo duo opuscula «ad nationes libri II» (cura et studio J. G. Ph. Borleffs), qui libri quasi adumbrant magnum Tertulliani «Apologeticum». — In praefatione, elegantè Latina oratione scripta, breviter ac presse Tertulliani vitae et ingenii notitia traditur, et summis digitis textus traditio proponitur quo melius intellegi valeant codicum cognationes et familiae, vere selecta bibliographia colligitur, tabulae tandem de codicibus stemmate, testimoniis, codicum atque editionibus praecipuis adduntur. Non est cur in tanto opere laudando immoremus; sat opus se ipsum commendat. Scimus jam nova hujus collectionis prodisse volumina. Utinam hoc opus, optimis auspiciis inceptum in finem ducatur, ut Patrum opera legere possimus in editionibus pulchris, elegantibus, ac dum legimus, pro certo habeamus nos sinceros germa-

nosque textus legere. — In PALAESTRA LATINA libentissime novos fasciculos et editos et edendos lectoribus nuntiabimus

AURELIUS AUGUSTINUS — *Auswahl aus «de Civitate Dei».* Textbearbeitung. Einleitung und erklärendes Namenverzeichnis von Prof. Dr. Max Zepf. F. F. Kerle Verlag Heidelberg 1954, p. 134.

Cl. Professor Dr. M. Zepf alumnis quosdam locos D. Augustini ex l. «de Civitate Dei» selectos offert, quo fit ut juvenes degustare et delibare queant praeclarum tanti Doctoris maximumque opus Tota «selectio» duobus fasciculis absolvitur. Prior, qui fragmenta Augustiniana complectitur, continet primum tres et viginti paginas ad vitae et operum notitiam tradendam, quas nominum index hominum rerumque cum aliqua explicatione subsequitur. — Alter fasciculus (*Wörterverzeichnis mit Erläuterungen zu AURELIUS AUGUSTINUS auswahl aus «De Civitate Dei», p. 38*) quaedam evolvit de Latinitate Augustini in l. «de Civitate Dei», et addit vocabularium earum vocum quae in fragmentis selectis inventiuntur. Opus hoc magni faciendum est, quod 27 est volumen Heidelbergensium Textuum, nam ad ampliores investigationes de Christianorum ac St. Augustini praesertim, scriptorum Latinitate patentem et amplam sternit viam

CORNELII TACITI *Ab excessu Divi Augusti. Annalium liber I.* — Introductione et commento di Luigi Canesi. G. B. Paravia & C. Torino, 1954, pg. XX-276.

Hic liber primum, eorum qui improprie «Annales» Tacite nominantur, amplissime a L. Canesi explicatur. Post introductionem, in qua quaestiones et criticae et litterariae et historicae breviter agitantur, textus Taciti editur, sa-

plentissimis adnotationibus auctus, quibus mens Latini Historici clarius perspicitur. Liber clauditur copioso indice earum proprietatum quibus lexicon, syntaxis, stilus Taciti ab aliis scriptoribus distinguitur, quo fit ut harum rerum studium eruditus facilius reddatur. Opus nobis optimum et commendatione dignum videtur

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

VOX. — *Diccionario manual ilustrado de la Lengua Española. Prólogo y revisión por Samuel Gil Gaya. Publicaciones y Ediciones Spes, Barcelona, 1954.*

«*Dictionarium manuale linguae hispanicae*» quod nunc in lucem prodit est quasi compendium illius «*Dictionarii Generalis*», cujus altera editio in manus venit eruditorum.

Arduus sane labor in compendium redigere opus optime elaboratum, idque difficillius cum de excisis agitur, quibus scriptor exprimere debet quae probentur aut rejiciantur a viris doctis et aptam insequi debet viam ut opus, quibus destinatur, utile et commodum sit

Ut autem illa operis diminutio fieri posset, voces obsoletae, archaicae, exterae, technicae, etymologiae, aliquae significationes translatae, similia sublata sunt.

Sed aptissima ratione typographica, qua solerter Officina Libraria SPES usa est, id est effectum ut minimo spatio multa comprehenderentur. Quod sane maximae laudi clari scriptoris et Officinae Librariae est tribuendum. Idque etiam est legentibus proponendum quod illae selectae picturae quae in Generatore Dictionario sunt expressae etiam in Manuali prostant, quibus multa uno oculorum intuitu conspiciuntur et sine ullo labore ediscuntur.

Pro certo habemus novum lexicon omnibus, qui animi culturam colunt et linguam hispanicam amant, maximam utilitatem allaturum. Alia quae prope-

diam edentur lexica, vehementer, expectamus.

BENJAMINUS M. FORCANO, C. M. F.

Guida allo studio della civiltà romana antica, diretta da Vincenzo Ussani. Volume I. Istituto editoriale del Mezzogiorno. Napoli-Roma-Milano, 1952.

Hoc magnae quidem molis momenti-que magni volumen, quod alterum, jam in prelo, propediem consequetur, tamquam vera est de re bibliotheca; in unum vero librum multorum scriptorum opera adacta est eumque librum lectoris studio et curiositate aestimamus agendum, atque ideo ad illius manum habendum. Paucis me absolvam de conscriptoribus deque libri argumentis.

Vincentius Ussani: praefatio (pp. 5-9). Aloisa Banti: geographiae Italiae antiquae (pp. 13-31). Josephus Lugli: conspectus topographicus Romae antiquae (pp. 35-48). Petrus Barocelli: homines Italiae praehistoricae (pp. 51-69). Maximus Pallotino: populi historici Italiae antiquae (pp. 73-90). Julius Gianneli: historia Romae ab origine usque ad mortem Caesaris (pp. 93-133). Lucas de Regibus: historia Romae a morte Caesaris usque ad occasum imperii Occidentis (pp. 137-171)

Juliana Farenga Ussani: chronologia praecipuorum eventuum (pp. 175-183). Nicolaus Turchi: paganismus (pp. 187-209). Josephus Ricciotti: Judaeismus in urbe Roma (pp. 213-228). Paullus Brezzi: Imperium Romanum et Christianismus ab originibus usque ad medium V saeculum (pp. 231-240). Vincentius Arangio-Ruiz: constitutio Romana et ejus historia (pp. 253-295). Attilius Degrossi: administratio civitatis (pp. 299-329).

Petrus Romanelli: provinciae administratio (pp. 333-377). Antonius Guarino: jus Romanum, characteres et fontes (pp. 381-407); jus privatum Romanum (pp. 411-445). Joannes Pugliese: jus criminale Romanum (pp. 449-478). Alfridus Passerini: copiae armatae (pp. 481-534).

Angelus Segré: pondera et mensurae (pp. 537-541) Laurentius Dalmasso: Agri cultura, zootechnia et ars pastuum (pp. 545-570); venatio et piscatio (pp. 573-580). Blagius Pace: industria et commercium, itinera et navigatio (pp. 583-629).

Ex his quae solum modo sunt relata quanta sit hujus voluminis utilitas luculenter apparet; opus vere eximium, in quo cumulate de rebus Romanorum est sermo.

GAETANO DE SANCTIS. — *Storia dei Romani*. Vol. IV. parte seconda, tomo I. «La Nuova Italia» Editrice. Firenze, 1953

Artum profecto summarium (pp. IX-X), breviscula praefatio (pp. XI-XII), longum caput (pp. 1-112), haud parva appendix (pp. 113-120), una cum alio perlongo capite (pp. 121-376), quasi externum cursum constituunt hujus voluminis, omnino densi laboris, quod quidem aliud non est, nisi «pars» praecipui operis clari auctoris, cui titulus «Storia dei Romani».

Enimvero, quod Daremberg-Saglio, Pauly-Wissowa, Mommsen-Marquart, I. von Müller sunt populis Gallo, Anglo, Germanico; et hoc, quadam habita proportione, populo Italico est praesens opus, a Cajetano de Sanctis exaratum. Magna igitur laus cum sedulo scriptori, tum Domui Librariae «La Nuova Italia» tribuenda, quod adeo de scientia historica bene sint meriti.

Summarium, etsi artum dixi, aptissimum est vel uno oculorum ictu totum voluminis argumentum, quasi minutatim, indicare. Primum operis caput est de litteris et arte aetate pristina Romanorum. Ibi primi Latinae linguae scriptores recensentur eorumque sermo, mores, opera recoluntur. Il sunt: Livius Andronicus, Gnaeus Naevius, Plautus, Ennius, Scipiones, Caecilius Statius, Terentius, Lucilius, Cato, Caellus Antipater atque alii minoris momenti.

Alia hujus capituli pars est de arte an-

tiqua: de architectura Romanorum, de statuaria, de pictura, de arte plastica, ceteris. Finitur vero caput appendice de comoediis Terentii, quae in specie et singillatim a scriptore recoluntur.

In capite denique secundo agit scriptor de progressu et regressu antiquae traditionis religiosae. Quidquid ad originem, incrementum, mutationem, corruptionem, atque hujus modi religionis attinet, sedulo amplexu studio disseritur. Multum et multa in hoc opere lector addiscere sine dubio poterit.

FR. MAGGINI. — *I primi volgarizzamenti dei classici latini*. Casa Editrice F. le Monnier. Firenze, 1953.

Non nullae lucubrationes hoc constituunt opus, a claro viro F. Maggini exaratum, quae quidem vulgatae in variis commentariis erant, et magno lectorum plausu legebantur. Atque in id omnia vergunt studia ut praecipuum quemdam considerent aspectum orationis prosae Italicae primaevae, in ejusdem relatione cum lingua Latina et vulgari.

Libellus igitur sex lucubrationes amplectitur de re litteraria. Primae, quae nondum erat edita, est titulus: II «Fiore di Rettorica» (pp. 1-15). De scriptore atque argumento hujus primaevi operis artis rhetoricae diserte agit, quod Italicis litteris fovendis in maxime adjuvabit.

Aliarum vero lucubrationum argumenta haec: Orationes Ciceronianae a Brunetto Latini evulgatae (pp. 16-40). Annotationes de «Sallustio evulgato» a Bartholomaeo a Sancto Concordio (pp. 41-53). Primae translationes Titi Livii (pp. 54-89). Boccacius interpres Classicorum (pp. 90-96). Eptome artis rhetoricae saeculi XIV (pp. 97-111).

Quamquam hujus libelli studia, primo conspectu, valde sunt dissociata, in unum tamen scriptoris ingenium commode aedit; commendanturque ex arte critica et clarissimi scriptoris plenissima cognitio historica et philologica.

OTTO SCHÖNBERGER. — *Uebungsbuch des lateinischen Stils*. Heidelberg 1953. Carl Winter-Universitätsverlag.

Libellus hic, parvae quidem molis, sed maximi momenti Latinitatis studio, ex non nullis exercitationibus «stili» Latinae linguae, a claro Professore Ottone Schönberger exaratis, constat. Altera pagella operis Germanicus, altera vero Latinus textus rite translatus, sciteque parenthesis ope exornatus, ab scriptore discipulo affertur. Perfacilis inde translatio

Opella constat 72 omnino refertis pagellis; sibi que ibi succedunt viginti quinque «stili» Latini exercitationes, quae modo chronologico ordinatae, lectori commodant tamquam amoenum iter per historiam populi Romani: omnes enim fere loci ejus modi consuetudinibus atque usus perstringuntur.

L. OLIVIERI SANGIACOMO. — *Sallustio*. Casa Editrice «La Nuova Italia», Firenze, 1954.

Hoc summae utilitatis opus lucubratio est de persona atque arte litteraria C. Sallustii, primi quidem inter principes Romanae gentis historicos. Improbis labor omnia vincit; et scilicet clarus scriptor omnia fere hic, omne dextro, collegit lectoribus praelibanda, quae ab auctoribus adhuc conscripta sunt de eo eximio classico scriptore.

Litis certe instrumenta de C. Sallustio, historico et scriptore, prae oculis ab initio libri habentur; aeque ac subtili scriptoris ingenio perpenduntur. Ibi C. Sallustii sensum moralem, logicum, aestheticum; ibi historicum, politicum, scriptorem ab imo ad summum perscrutatur L. Olivieri, quae homini tandem gratiam apud viros doctos de non nullis injuriis praejudiciisque concillet.

En vero tibi operis summa. Pondus documentum «autobiographici» in opere Sallustiano (pp. 1-11). Biographia C. Sallustii (pp. 13-35), «Epistulae ad Cae-

sarem Senem de Republica»; De earum auctoritate, prima et secunda epistula (pp. 37-76). Analysis operis «De Conjuratone Catillinae» (pp. 77-153). Analysis operis cui titulus «Bellum Jugurthinum» (pp. 155-215) «Historiae» Sallustianae (pp. 217-246) Sallustius historicus (pp. 247-281).

Sequitur appendix, ubi scite agitur de «Invectiva in Ciceronem», primis Sallustii annis conscripta (pp. 283-291). Denique copiosi sunt indices (pp. 293-308) Inter opera litteraria de re «classica» hoc erit, ni multum fallor, in posterum habendum.

CICERÓN — *De Senectute*. Texto latino con notas y vocabulario por Aurea María Martín Tordesillas, Catedrático de latín. Editorial Gredos. Madrid, 1953.

Labor sane «paedagogicus» est, quem sibi adscivit officina Librería Gredos, in edendis vulgandisque praecipuis classicorum Latinorum scriptis; quod modo prorsus scholastico effecit, nisi multum fallor. In hoc libello nobis dialogum Ciceronis «De Senectute» offert Adest textus Latinus, una cum notulis et vocabulario nominum propriorum atque institutionum. Opus vero dispositum belle est ab Aurea M. Martín, Latinitatis insigni professore.

Brevissimas, in Prologo, affert de vita Ciceronis notitias; atque libri argumentum et quasi subtemen paucis explicat (pp. V-VIII). Consequitur accuratus «De Senectute» textus (pp. 9-61), cui non pauca, eaeque scitae explicationes grammaticae, modo certe ad usum discipulorum proprio, subjunguntur. Ibi que invenies aptum vocabularium nominum geographicorum et historicorum (pp. 63-81); et vocabularium institutionum et mythologiae (pp. 83-89). Itaque libellum aestimamus et commodum et utilem discipulis Latinarum litterarum, quibus illum maxime commendamus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

A. BLAISE. — *Manuel du Latin Chrétien. Le Latin Chrétien*, 5, rue Twinger, Strasbourg, 1955, pp. 224.

Prooemium et complementum dictionarii de sermone Latino christiano hic liber habebitur, qui potius quam tractatus specialis, notulas seu adnotationes continet de stilo et de grammatica auctorum christianorum. Non omnes re vera in natura sermonis Latini christiani definienda conveniunt, nec facile discerneres utrum de lingua a sermone Latino classico distincta agatur necne. In ea tamen quid novum in verbis, in verborum significatione, in indole et inclinatione auctorum facile comperiri potest. Quod auctor, vestigia secutus scriptorum praesertim Scholae Noviomagensis (Schrijnen, Mohrmann, Janssen, Merks, cet.) comprobare conatus est. Unde liber de sermone Latino christiano utilis et magni commodi reputamus eis maxime qui auctorum christianorum cultum curant.

A. BLAISE. — *Dictionnaire Latin-Français des Auteurs Chrétiens*. Revu par Henri Chirat. *Le Latin Chrétien*, 5, rue Twinger, Strasbourg 1954.

Non possum non laudare Dnum. Blaise qui hoc magnum opus, medium inter Forcellinum et Du Cange quasi pontem, arripuit, idque in multorum utilitatem, philologorum praesertim et theologorum, impiger ad finem perduxit.

Ratio vero operis haec est: Praefatio de natura et dotibus dictionarii, conspectus auctorum operumque in dictionario collatorum, a Tertulliano videlicet ad auctores merovingios (9-29); de signis et de orthographia brevis disputatio (29-32); verborum denique index alphabeticus (33-866).

Atque in primis laudandus est titulus dictionarii auctorum nempe *christianorum*, qui allud sonat atque auctorum ecclesiasticorum. Titulum de sermone Latino seriore (*bas-latin*) aut de sermone latino senescente (*latin de la décadence*)

auctor optime rejiciendum censuit; at ei placuit de «sermone Latino christiano» (*le latin chrétien*) quod nomen ab Universitate Noviomagensi (*Nimega*) vulgatum ante fuerat, huic operi titulum indicere.

Quod ad verba sese refert, ea tantum proponuntur quae propria sunt auctorum christianorum, sive ab auctoribus classicis non usitata sive ab illis sensu diverso adhibita. Singuli verborum sensus distincte notantur, congruisque exemplis confirmantur. Exempla singula breviter sed clare ad auctores referuntur ita ut facile consulti queant.

Verba onomastica omittuntur quia facile in aliis dictionariis reperiri possunt et molem hujus haud parvi dictionarii auferent.

De verbis theologice curavit Dr. Henricus Chirat in Argentoratensi Universitate theologiae catholicae professor.

In opere conficendo magnum studium et amorem auctor ostendit. Desiderantur tamen auctores nonnulli, ex gr. hispani: Braulius Caesaraugustanus, Ildephonsus Toletanus, Eulogius Cordubensis. Non dubito fore ut hi ceterique auctores, qui desiderantur in hac prima editione, in altera ad manus praesto sint.

J. F. NIERMEYER. — *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*. Leiden (Batavia) Fasciculus I *ab-berewicus*, 1954, pp. 96, fasciculus II *berfredus-clusa*, 1955, pp. 97-192.

Nunc vere Latinitatis mediae studia florent, ut facile conjici potest ex tot tamque variis lexicis (Blaise, Baxter, Souter, Du Cange, Niermeyer) et commentariis (Norberg, Bonnet, Lind, Löfstedt, Strecker, Bastardas) recens editis.

Hoc quod PALAESTRAE LATINAE lectoribus lexicon offerendum accepimus, «novum Du Cange minus» dixeris. Quod, si cum aliis similibus lexicis, ex gr. cum lexico Dni. Souter (*A Glossary of later latin*. Oxford 1948) contuleris, ipsius praestantia mox apparebit cum

re vera in eo et tractus temporis amplior — ab anno nempe 550 ad annum 1150 — et verborum copia et rerum explanatio profusior, uti patet jam in prima pagina operis, ubi «abbas» verbum fere dimidiam paginam, verbum vero «abbatia» duas fere paginas complectitur.

Primus et alter fasciculus nunc proderunt a verbo *ab* ad verbum *clusa*. Proxime reliquos in lucem prodituros speramus.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

M. TULLI CICERONIS. — *Epistularum ad M. Brutum liber nonus*, PSEUDOCICERONIS *epistula ad Octavianum Fragmenta Epistularum*. Recognovit HUMBERTUS MORICCA. Post ejus obitum editionem curavit A. Moricca Caputo. Corpus Paravianum. Aug. Taurinorum, 1955. p. XXXIV-99.

In ipsa hujus libri inscriptione, quid in eo contineatur, plane edicitur. Editores in prologo quaestionem codicum eorumque cognationem sat ample evolunt, tabulamque addunt «qua M. Tullii Ciceronis epistulae ad M. Brutum et M. Bruti ad M. Tullium Ciceronem, temporum habita ratione, in ordinem digestae proponuntur». Opus nominum indice locupletatur.

M. TULLIUS CICERO. — *Pro Archia-pro Murena*. Einleitung, Textbearbeitung, und erklärendes Verzeichnis der Eigennamen von Dr. Alfred Klotz. Heidelberg, 1949. pg. 68.

CORNELIUS TACITUS. — *Germania*. Text und Namenverzeichnis von Dr. Hans Haas. Einleitung von Dr. Karl Meister. Mit einer Karte von Germanien um die Wende des 1./2. Jh. n. Ch. von Prof. Dr. Richard von Kienle. F. H. Kerle Verlag. Heidelberg, 1952. pg. 63.

Hi libri, volumina sunt 18 et 23 notissimae et laudandae collectionis Heidel-

bergensium textuum seriei Latinae, qui proinde hisdem proprietatibus donantur atque ceteri textus hujus collectionis. Post densam praefationem de praecipuis quaestionibus historicis et litterariis, nudus classicorum scriptorum textus proponitur. Qui ubique clauditur indice in quo nomina propria, quae in textu reperuntur, breviter explicantur. Ita eduntur Ciceronis «*Pro Archia - pro Murena*», ita etiam Taciti «*Germania*», quae tamen majoris momenti praefatione instruitur, in qua historicae quaedam ac criticae quaestiones praecipue evolvuntur.

GIOVANNI D'ANNA. — *Le idee letterarie di Suetonio*. La Nuova Italia, Firenze, 1954, p. 229.

Arduum sane vedebitur pervestigare quid de litteris auctor quivis senserit, cujus omnia fere opera, litteraria praesertim, hominum temporumque injuria perierunt, quorum non nisi fragmenta et testimonia apud alios auctores exstant. Quod casu Suetonio accidit. Nihilominus, cl. A. summa qua par est peritia, haud facile opus complevit. Nam in priore parte libri illae quaestiones ab eo exponuntur quae apud Flaviana aetatis auctores agitabantur quaeque in Suetonium adolescentem facile influere potuerunt. In altera vero parte quaeritur quid Suetonius, et grammaticus et «atticus», de illis quaestionibus tum agitatis opinaretur, quid de Quintiliano et de Cicerone sentiret, quomodo quantique pristinos Latinos scriptores et recentiores aestimaret. In postremo tandem capite — quod mihi omnium optimum videtur —, proprius Suetonii stilus consideratur, qui stilus — ita auctor — longe alius est ab illo quem ipse Suetonius ut specimen et forma optimi stili in mente conceperat. Quae quidem varietas tribuenda videtur diversis fontibus historicis in opere Suetonii adhibitis.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARIJ

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2. BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM Lauria 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. I — FASC. III

M. SEPTEMBRI

A. MCMLV

VISNE LATINE SCIRE? - LEGE

Gellius cum non sufficerent dies, noctes legendo addidit ac *Noctes Atticas* scripsit. Et Tullius *Paradoxa* sua contractioribus noctibus elucubravit. Hinc lucernam olere dicebantur lucubrationum opera. Xerxes noctem legendis Chronicis fatigavit. Nec in conviviis Romani parcebant lectioni. Certe apud Pomponium Atticum, antiquitatis amatorem, numquam sine aliqua lectione cenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur, sicut de optimo viro Corn. Nepote memorat. Et divus Benedictus, Nursinus Prens, in sua Regula Monachorum, praescripsit: «mensis fratrum lectio deesse non debet». Romani certe rerum potiti Bibliothecas in balneis, thermis, et villis suis habuerunt, ne in maximo otio a legendo vacarent.

Ita tamen legendum, ut diu legas, nec alia neglegas. Nec noctem lectionibus aptam iudico, quod aliorum periculo didici. Lucubrationibus enim in longam noctem protensis incalescit caput, spiritus debilitantur, oculi lumine externo obtunduntur. Nec continuis studiis diurnis defatigandum cerebrum, lassandus animus. Sint sua cuique tempora et pensa.


Itaque, lectio priscorum, si vis Latine scire, primum est ac praecipuum linguae discendae subsidium. Huiusmodi autem lectio debet esse in primis assidua, deinde accurata. Assidua, nam si non multa cotidie legimus, non omnia quae ad bene scribendum pertinent, discere et colligere possumus. Accurata, hoc est, talis ut singula verba plane intellegas.

PRAECEPTA VITAE INFORMANDAE

Tribus velut instrumentis fabricamur eruditionem, ingenio, memoria, cura. Ingenium exercitatione acuitur, memoria excolendo augetur. Ad curam quod attinet, quicquid videri cupis, fac ut sis, aliter frustra cupis. Quae ignoras, ne pudeat quaerere. Ne erubescas a quovis doceri, quod maximi viri non erubuerunt. Erubescere potius ignorare, aut nolle discere. Demum, scientia modum habeat et ad animi demissionem ducat, non ad extollentiam. Memento illud: «Scientia sine consilio, dementia duplex»: «Ciencia sin seso, locura doble». (GRACIÁN, *Oráculo manual*, 16).

PAEDAGOGUS

LUPUS ET SEPTIM HAEDI



Quondam erat capella cui septem haedi erant, quos tamquam mater filios suos amabat. Quodam die petere voluit silvam ut domum afferret cibum. Vocavit septem haedos ad se et dixit eis: —Carissimi filioli, eo ad silvam, cavete lupum. Si venerit manducabit vos omnes. Voracissimum animal venit saepius ad ovile; eum noscetis ex voce rauca et pedibus nigris.

Haedi matri dixerunt: —Sine cura proficisci potes. Maximam adhibebimus diligentiam.

Tunc capra balans profecta est tranquille ad silvam. Haud multum temporis lupus venire moratus est. Pervenit, pulsavit januam et clamavit magna voce:

—Aperite, carissimi filioli, mater vestra sum, quae afferro vobis cibum ut manducetis.

Sed haedi eum esse lupum voce rauca agnoverunt.

—Non tibi ostium aperiemus, una clamarunt haedi, tu non es mater nostra quae lenem et jucundam vocem habet.

Tunc profectus est ad taberna-

rium, emitque ab eo quidquam cretae. Qua sumpta, vox conversa est lenior. Rursus est profectus et, janua pulsata: —Aperite, inquit, carissimi filioli, mater vestra sum quae afferro vobis cibum ut manducetis.

Sed lupus pedes nigros imposuerat in fenestram. Cum haedi eum viderunt

dixerunt: —Non tibi januam aperiemus, mater enim nostra pedes nigros ut tu non habet. Tu es lupus.

Qua propter mox, pistorem adiit, cui dixit: Lapidem in via offendi, et pedibus meis damnum intuli, unge, quaeso, eos massa.

Postquam ei pistor massa pedes unxit, ad molendinarium cucurrit, cui: —Injice, ait, farinae paululum in pedes meos: Secum molendinarius cogitavit: «Aliquem decipere vult lupus». Tunc eum despexit; lupus vero dixit: —Si mihi pedes farina non liveris, vorabo te. Tunc molendinarius ei pedes dealbavit. Ita homines sese gerunt!

Lupus tertium rediit et, ostio pulsato, clamavit: —Aperite, carissimi filioli, mater vestra sum quae afferro vobis cibum ut manducetis.

—Pedes nobis ostende ut agnoscamus te.

Tunc album pedem viderunt et, matrem esse cogitantes ei ostium aperuerunt. Tamen coram se viderunt lupum. Deterriti, omnes latere conati sunt. Alius se sub mensam immisit, alius in lectum, tertius in laconicum,

quartus in culinam, quintus in armarium, sextus in trulleum, septimus in horologii capsam. Sed lupus omnes captos voravit. Minimum autem natu non invenit. Lupus laetus exiit atque sub arbore ut dormiret, recubuit. Deinde capella rediit et pro dolor! quae illa videre coacta est! porta, mensae, sedilia, scamma dejecta, trulleum in mille frusta fractum. stragulum, culcita extra lectum erat. Cum filios multum requisisset, eos non invenit. Omnes suo nomine vocavit, nemo vero ei respondit. Sed cum minimi natu nomen pronuntiasset, vox personuit: —Matercula, in horologii capsam sum inclusus.

A matre eductus, omnia quae acciderant, enarravit. Tum domo flebiles sunt egressi et in pratum pervenientes, lupum sub arbore stertentem viderunt. Qui adeo vehementer stertebat ut tota arbor tremere.

Capella appropinquavit, undique lupum inspexit et aliquid in ventre animalis moveri, et pedibus quatere sensit. —Pro Deum, inquit, eruntne adhuc vivi miseri mei filioli quos lupus, ut lautam cenam sumeret, voravit? Statim haedus superstes domum petivit et attulit filum, acus, forficem. Capella alvum a summo usque deorsum huic nequam rescindere coepit. Vixdum parvam fecerat fissuram cum jam caput haedus eduxit et ubi omnino alvum scidit sex haedi foras exierunt vivi et sine ullo detrimento, lupus enim integros vorarat.

Quanta laetitia omnes circum matrem se collocarunt exsultantes magis

quam sartor qui sollemnia nuptiarum celebrat. Capella autem: —Ite, inquit, et lapides afferte mihi, ut gulosi animalis alvum, dum adhuc dormit, repleamus.

Quam citissime lapides attulerunt et in animalis ventrem immiserunt. Quibus actis, capella maxima cura ei alvum sarsit ne quid animadverteret neve se moveret.

Tandem cum lupus dormire desiit, surrexit, et quia lapides quos in stomacho ferebat, sitim excitaverant acerbam voluit adire ut quicquam aquae biberet. Cum ambulare coepit, lapides inter se collidebantur. Tunc clamavit: —Quid collidit et in meo ventre strepit? Putabam sex esse haedos, sed nihil nisi meri lapides sunt.

Cum ad puteum pervenit in aquam pronus se demisit ut biberet, lapidibus est arreptus, intus cecidit et miserabiliter aqua suffocavit. Ubi haec haedi viderunt illuc cucurrerunt clamantes: —Lupus mortuus est, lupus mortuus!

Et diu pleni laetitiae choream duxerunt cum matre circum puteum.

A. ALSINA,
C. GUARDIOLA,
J. A. COSTA.



BONO CORDE ESTO



MOS IN ANIMO JOANNELLI INVETERAVERAT AVES CANTRICES AUCUPANDI.

1



QUAS DEINDE IN CAVERIS CONJECTAS RETINEBAT, ET STILIS OCULOS TRANSFIGEBAT; SCIEBAT ENIM EX AMICIS SUAVIORES EDERE CANTUS, SI EXCAECARENTUR

2



EJUS MATER, MARIA, QUAE MORBO LABORABAT, SAEPE FILIUM INCREPABAT.

PUSILLO AC FERRO ES ANIMO, FILIOLE, HAE VOLUCRES CUM MATRE ESSE CUPIUNT ET VIDERE VOLUNT.


AVES CAECAS AMPLIUS NON EFFICIAM. SED CUM ILLAS MECUM HABEO, TANTAM PERCIPIO VOLUPTATEM!

3



ABHINC JOANNELLUS VOLUCRES CANTRICES NON EXCAECABAT; SED CAVEAE, QUIBUS ILLAE CONTINEBANTUR, DOMI ABUNDABANT

4



VITAM NE DESTRUAS, PUER. AVES NE DOLORE AFFICIAS; ET IPSAE SUAM HABENT
MATREM.

MISCENTES UTILE DULCI...

FACETE, SAPIENTER, ACUTE DICTA DE SPECULO

Apud veteres fuerunt qui speculum explorationis signum esse vellent, propterea quod et naevi et rugae, et uniuscujusque color, et alia quae forent incognita indice speculo deprehenduntur. Sedenim sapientius illi rem expendisse videntur, qui falsum ex speculo significari tradiderunt, in quo, scilicet, quamvis similitudo quaedam appareat, eo tamen falsa est, quod in speculo quae laeva sunt, dextera; quae dextera laeva referantur, atque veritati fucus fiat.

Aloqui speculum Pindaro est hymnus, in quo res praeclare gestas, virtutesque cujuspiam celebres possimus intueri.

LEMMATA IMPERATORUM

Tiberius Nero, ob ebrietatem alias *Biberius Mero* dictus, sub cujus imperii moderamine Christus Redemptor noster in crucem agi voluit, obiit ex lento veneno, vel ut alii volunt, injectione pulvini oppressus, a. Christi 39, aetatis autem 78.

Lemmate utebatur: MELIUS TONDERE, QUAM DEGLUBERE.

Cajus Caligula, ita appellatus a caligis militaribus, quas gessit tum miles, a militibus confossus est a. Christi 42. Carnifex verius quam rex, Romano populo unam optabat cervicem, uno scilicet ictu amputandam. Vestem bis induit numquam, in dies singulos mutans corporis habitum. Pedum osculum primus admisit. Suum equum, quem *Incitatum* vocabat, destinavit facere consulem Romanum: dignum sane consulem sub tam bruto Rege.

Lemma ejus fuit: ODERINT, DUM METUANT.

SAPIENTIUM DICTA

Aristippus, interroganti qua re differret sapiens ab indocto: «Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, et videbis». Significavit sapientem secum in pectore circumferre, quo se commendaret quibuslibet. Proinde si doctum et indoctum pariter nudos mittas in regionem peregrinam, ubi ambo sunt aequae ignoti, sapiens proferens opes suas, protinus et rem et amicos inveniet; nudus alter pro insano ridebitur et fame periclitabitur.

Disce, puer, variis loquendi formulis pure lingua latina uti

«Latinitate utitur optima»

- | | |
|--|---|
| 1. Latini sermonis facundia insignis | 8. Nihil sua Latinitate praestantius, elegantius... |
| 2. Ejus loquela auream redolet Latinitatem | 9. Nihil ejus Latinitate pulchrius |
| 3. Nitidam et comptam usurpat Latinitatem | 10. Illi a natura insita est mira Latini sermonis elegantia |
| 4. Pure ac solute latine loquitur | 11. Eum germana Latinitas plurimum exorat |
| 5. Pereleganti sermone Latino utitur | 12. Est in latine loquendo peritissimus [nat] |
| 6. Latine loquitur, et quidem ornate... | 13. Est ei Latina oratio quam castissima |
| 7. Exquisitam Latinitatem tota ejus sapit oratio | |

AENIGMATA



Littera elisa

6. O tandem salve, jucundi nuntia veris!
At pereas potrix sanguinis atra virum!

7. Totum haud est totum, cervicem tolle, docebit.

8. Si unum de undeviginti detraxeris, viginti habebis.
Quomodo?



9. Dicito, quis: nec Phoebus, nec Cynthia dicor,
Par plenae est Lunae planta, caputque tamen,
Principiumque Dei tantum mea guttura signant,
Inque meo mihi sit pectore Jesus idem.
Contemplare genu (dictu mirabile) utrumque:
Lampadis et lucis principium invenies.
Si mihi tres partes medias in corpore demas,
Ut rota ero radiis, quae caret orba suis.

DISTICHA

Cole verecundiam, nam: Si posuit tandem facies verecunda pudorem,
Effrentis censet cuncta licere sibi.

Hostes si habeas, noli indulgere somno: Damna cavere pigro mens dedita somno,
Dormias ha! nullo tempore, si hostis erit.

Quinque sensus: Quinque voluntatisque voluptatisque ministri
Officium faciunt, an magis officiant?

PAEDAGOGUS

SOLUTIONES

LECTORIBUS CONJICIENDUM — (Cfr. Fasc. I, pg. 58): *Tinea*

AENIGMATA: 1 Fel - ictitas.
2 Aurum
3 Formica
4 Fames
5 Somnus

Abacus veneficus interpretatur (fasc. II, p. 127)

Quod — Lana — Ca
Put — Alligas
Charine — Non
Aures — Tibi — S
Ed — Dolent — Ca
Pilli — MARTIALIS

Picturae sic in verba convertuntur:

(fasc. II, p. 127)
(fasc. II, p. 128)

sub-sol-anus: te stamen-tum; post-u-mus
ante-pil-anus; in-s-ignis; apert-tus.



ABACUS VENEFICUS

(Olegarius Herreros, C. M. F.)

9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	
40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	
50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	
60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	


Descendisti	49	7	54	28	52	40	27	47	55	15
Velivolus	16	44	13	38	63	51	57	32	18	42
Impalpabilis	31	65	8	21	35	30	48	33	9	25
Garrilo	+4	17	59	14	45	36	64	61	2	
Mercatus	22	50	3	23	66	10	56	34		
Uter	46	26	60	20	67	15	53			
Laetum	58	6	54	37	5	11	24			
Cantus funebres	29	62	1	66	41	19				
Oppidum		4	12	39	17					
Palaestinese										

PROFESSOR TURBATUS

Est mala consuetudo vespere in lecto legere. Nam reape accidit, ut nonnulli, qui lumen extinguere obliti fuerant, mane, cum evigilassent, se penitus crematos senserint.

N. MANGEOT

E Germania




Cur oculos in vultum meum ita infigis?

— Exspecto dum surgas et videam quo modo a tergo te exhibeas; sedisti enim super scamnum nuper pictum.

J. MELÉ

Celsonae



PUER, INTELLEGIS QUAE LEGIS?

(Inventit BERUETE)

Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana

por JUAN COROMINAS

en cuatro volúmenes, Ed. Gredos, Madrid. Vol. I: A-C

Precio de cada tomo:

a) todo tela, 480 ptas. b) pasta española, 500 ptas.

Primum volumen hujus singularis et praeclari operis in lucem prodiit, quo doctissimus vir Johannes Corominas, in Universitate Chicagiensi Philologiae Romanicae professor, subtiliter omnique disciplinarum ope adhibita historicam vocabulorum evolutionem, quae ad sexaginta milia numerantur, copiosissime considerat et expendit.

Opus, quo mirum in modum Hispanicae litterae honestantur, omnibus, qui linguam Hispanicam et romanicas penitus perspicere et callere velint, prorsus est necessarium.

«Empieza cada uno de los artículos por un resumen en pocas palabras de lo que se sabe de la etimología con toda seguridad... Sigue luego la fecha de primera aparición del vocablo en textos escritos... Después viene en párrafo aparte el cuerpo del artículo, donde figuran: a) la bibliografía acerca de la palabra; b) todos los datos lexicográficos, antiguos y modernos, literarios y dialectales; y c) los razonamientos y discusiones etimológicas. En calidad de apéndice, los artículos pueden llevar cierto número de palabras, tratadas en principio más sumariamente, y relacionadas por modos diversos con el epígrafe...» (del «Prólogo»).

ACTA DIURNA

inscribuntur lepidissimi commentarii Latini qui in urbe Brackpoolensi (in Anglia) mensibus Februario. Majo, Octobri in vulgus emittuntur. In singulis libellis acta referuntur a Senatu Romano aut a praestantissimis civibus gesta.

Ibi scitissimas leges narrationes, picturis explicatas, joca, aenigmata, acrostichides, verba quadrata, sententias picturis celatas, epistulas, carmina, cetera: omnia quidem gratissimo lepore conspersa et jucundissimo Latini sermonis nitore et elegantia imbuta.

Scribe ad Moderatorem G. M. LYNE . Th. Grammar School, Blackpool



VISNE LOQUI LINGUA LATINA?

Ut Romanorum lingua cum amicis colloqui possis atque in novis rerum inventis aptam in promptu semper habeas vocem Latinam, librum tibi in sermone adhibe socium, cui index

NOVA ET VETERA

a Jos. M.^a Mir, C. M. F., conscriptum

PRAESTANTIUM SCRIPTORUM JUDICIA

Magistri qui velint in posterum latine loqui cum discipulis, ad manus habeant oportebit una cum *Vive nostro*, Mureto, Budaeo, Fornario, Capellano, Passeto, Mirium PALAESTRAE LATINAE clarum moderatorem; immo - tot tantorumque virorum venia dicam - hunc praeter ceteros, tum quia *Nova et Vetera* uberior est fons ad hodiernas res exprimendas, tum quia, ex variis vocibus ab auctoribus antea allatis, puriores tantum praebet et tutiores.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., *Palaestra Latina*, an. XX. - n. 119, an. MCML, p. 134

On voit quel est l'intérêt tout spécial de cette tentative: il s'agit de constituer un vocabulaire qui permette d'utiliser le latin comme langue moderne, soit, lorsque la chose est possible, en empruntant au latin classique, soit lorsqu'il s'agit de notions nouvelles, en innovant par le moyen de transcriptions approximatives: *cogniacum*, *cafeum*, de mots composés: *electrivoctor* = wattman, ou de périphrases: *machina messoria*, moissonneuse. C'est, on le voit, une création linguistique que s'est imposé l'auteur... Il me plaît de reconnaître qu'elle représente un tour de force et de la signaler à ceux qu'intéresse la pratique du latin dit vivant.

J. MAROUZEAU, *Revue de Philologie*, tome XVIII, 1951, pag. 493

Es una aplicación al latín de los métodos intuitivos tan usados en el aprendizaje de las lenguas modernas. El autor ha traducido al latín los cuadros «Delmas...» A cada cuadro le acompaña una explicación o descripción detallada en latín en la que recorre todos los objetos numerados en el cuadro; un vocabulario de latín, castellano y francés, con sus números correspondientes y una *exercitatio*, con preguntas y respuestas. El libro termina con dos vocabularios. Es un libro de gran utilidad para profesores y alumnos en estos puntos de contacto que el latín tiene con nuestra vida...

ALEJANDRO BARCENILLA, S. J., *Perficit*, n. 51, a. 1950

Prostat in officina Libraria: GRÁFICAS CLARET

Venit 20 pesetis

Lauria, 5 - Barcelona